SYLLABUS

PROPOSITIONUM THEOLOGICARUM

QUAS

SUB AUSPICIIS REVERENDISSIMI PATRIS

D. EMERICI BRUCCO

PRÆPOSITI GENERALIS CONG. CLER. REG. S. PAULI

PUBLICE PROPUGNABUNT

CLERICI REG. EJUSD. CONGREGATIONIS

ROMÆ IN TEMPLO S. CAROLI AD CATINARIOS

Facta post tertium contradicendi facultate.

ROMÆ MDCCXCII.

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL

SUPERIORUM PERMISSU.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. X. *Passari Vicesgerens.*

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Vincentius Pani Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

REVERENDISSIMO PATRI

D. EMERICO BRVCCO

CONG. CLER. REG. S. PAVLI

PRAEPOSITO GENERALI

MOECENATI AMPLISSIMO

CLER. REG. S. PAVLI

THEOLOGIAE OPERAM DANTES

ROMAE IN COLL. S. CAROLI AD CATINARIOS

DISPVTAT. THEOLOGIC.

D. D. D.

EX TRACTATIBUS
DE
LEGE ET GRATIA CHRISTI.

I. ROMÆ cathedram æternam Apostolus Petrus erexit ad veritatem docendam, & *ad conculcandas Philosophiæ opiniones*, ut loquitur M. Leo Papa. Hoc in opere alii etiam Apostoli, & Evangelistæ Romæ desudarunt; Paulus, Joannes, Marcus, Lucas; tum Polycarpus, Hermas, Clemens, aliique. Sæculo II. scholam Romæ aperuit Justinus Martyr ad Græcorum Philosophorum vanitatem, & impietatem detegendam, & refutandam; ex qua Tatianus, Rhodon, aliique clari Scriptores prodiere. Perpetua Pontificum Romanorum cura fuit hæreses ex philosophia pullulantes quavis ætate dispicere, & eradicare. (1) Justini Martyris Scholam jamdudum in Urbe instaurarunt Cl. Theologi salubriter, & opportune. Nam si Crescentes, Lucianos, Celsos, Hierocles, Porphyrios, Libanios, Julianos Apostatas, Eunapios oppugnatores habuit, & latratores Ecclesia antiqua nunc veluti reserato *puteo abyssi* erumpunt legiones Philosophorum (2) inaudita errorum portenta evomentium, quæ calamistris, & coloribus exornant ex omni parte congestis. Ex omni physica, metaphysica, analysi, jurisprudentia, mercatura, eloquen-

(1) Etiam in Oriente, in Galliis, in toto orbe Christiano antiquissimi SS. Patrum excubias agebant ne quid Philosophici contagii purissimum Evangelicæ doctrinæ depositum inficeret. Unde Hieron. epis. 83. ad Magnum: *Quid loquar de Melitone Sardensi? Quid de Apollinario Hierapolitanæ Ecclesiæ Sacerdote, Dyonisioque Corinthiorum Episcopo, & Tatiano, & Bardesane, & Irenæo Photini Martyris successore? qui origines Hæresum singularum, & ex quibus Philosophorum fontibus emanarent multis voluminibus explicarunt?* Nulla certe diligentia nimia est contra tam subtiles hostes, & perniciosos. Nam ut magnus loquitur Papa Damasus ad Acholium: *Philosophia sapientiæ secularis amica est inimica fidei, venenum quoddam spei, bellum gravissimum Charitatis.*

(2) Primis Ecclesiæ seculis omnium hominum stultissimi se *Gnosticos* sive *Illuminatos* appellabant, & Christianam religionem subvertere aggressi sunt stoliditatum, & fœditatum prodigiis excogitatis, vel collectis ex academia Platonis, Cyrenaicorum, aliorumq. Hos sub assumpto *Gnosticorum* nomine, & refutare, & compellare coacti sunt Patres. Gnostici nuperi veterum hæredes se pariter & *Illuminatos*, & *Philosophos* perpetuo appellant, eosq. hoc nomine, & designare, & refellere coguntur Theologi. At solos Philosophos Antichristianos, & larvatos ab iis reprehendi quis ambigat? cum sanæ, sobriæ, & veræ Philosophiæ laudes, fructus, soliditatem, & amplitudinem vehementer auxerit ipsa Religio Christiana, in cujus sinu illa tantum excrevit.

quentia, poesi, cothurno, & socco, geographia, historia naturali, ex ipsis publicanorum teloniis, & regestis arma sibi comparare tentant Philosophi ad oppugnandam Religionem. In eos igitur nostra ætate dialecticas sagittas in Christianam Religionem intorquentes sæpe vires convertendæ erunt Pontificum, & Patrum exemplo.

II. Quippe SS. Ecclesiæ Patres Græci, & Latini quavis ætate convellendis suorum temporum erroribus toto nisu incubuerunt. Id præstitit speciatim Augustinus splendidis Majorum vestigiis inhærens; qui crebris, justisque operibus viventes Manichæos, Donatistas, Maximianistas, Paganos, Pelagianos, Platonicos refutavit; parcius attingens hæreses antiquas, quibus oblivio, & contemptus debetur magis quam honor perpetuæ confutationis. Dioscorum monet Augustinus: *opus non esse sopitas lites inani curiositate recoquere: & multorum hæreticorum ut Marcionistarum, & Sabellianorum dissensiones, quæstionesque jam sileri.*

III. Cumque nonnisi brevia tradere possimus Theologiæ elementa properandum est nobis in hoc *puteo aquarum viventium* abstergere profanum pulverem, quo nonnihil monente Augustino aspersi esse possunt adolescentes in Gentilium Scriptorum lectione, & interpretatione a pueritia versati; illisque communicare fluenta Evangelii, quibus roborentur, & sustineantur in literarum, scientiarumque studiis universis in posterum capessendis, aut dirigendis. (1)

IV. Ab hominis creatione incipimus, quæ mirabilem lucem spargit in omnem Tractationem de Lege, & Gratia Christi. Rapidis oculis perlustramus hic mundi rerumque creationem, ut in hominis productione contemplanda immoremur. Nihilominus animadvertimus in solo primo Genesis versiculo plus longe sapientiæ contineri quam in omnibus doctis voluminibus Ægypti, Asiæ, Græciæ, & antiquæ Ausoniæ. Nullo loco magis quam in Cosmogonia cæspitat, fædiusque procumbit sapientia famosorum veterum, apud quos invenimus non minora errorum portenta

quam

---

(1) Recte observat Baltus assiduam Paganorum lectionem paulatim sedimentum veluti quoddam deponere in animo, & fermentum Paganicum nisi Cautiones adhibeantur. Hinc nemo mirabitur Augustino præsente, suadente, subscribente prodiisse Can. 16. Con. Carth. IV. *Ut Episcopus Gentilium libros non legat.* Regulas vere sanatorias tradit Augustinus ep. ad Memor. & l. 2. doctr. Xp. & c. 39. concludit: „ videtur mihi studiosis adolescentibus salubriter praecipi ut nullas doctrinas, quæ præter Christi Ecclesiam exercentur sequi audeant, sed diligenter dijudicent. Apud gentes præter historiam rerum & rationem disputationis & numeri nihil utile esse arbitror, in quibus omnibus tenendum est nequid nimis diligatur. „ Ex hujus pharmaci omissione in litterarum instauratione sæculo XV. & XVI. miseranda naufragia in ipsa fide sæpe visa ob nimiam erga Paganos auctores propensionem. Lycophronis effatum, aut Sophoclis, aut Homeri, aut Ciceronis, quia elegantia, & suavitate conditum quam sæpe ut sapientissimum habitum fuit dum forte redundaret stultitia? Recitatum est pluries ut aureum Tullianum illud: Oh vitæ Philosophia dux, expultrix vitiorum! quid omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu Magistra morum, & disciplinæ fuisti; Ad te confugimus, a te opem petimus. Est autem unus dies bene, & ex præceptis tuis actus pene toti immortalitati anteponendus. Cujus igitur opibus potius utamur quam tuis, quæ & vitæ tranquillitatem largita es nobis &c. „ Hanc omnem periocham, & hasce pulchras interrogationes, preces, & laudes esse Pelagianissimas, & falsissimas certum est; ineptas autem ostendit Cornelius Nepos inter Paganos, tum Lactantius lib. 3.

quam apud Indos in præsens, Peguanos, Ceylanenses, Malabares, Tartaros, Talapoinos. Quæ Theophilus Antiochenus, Nyssenus, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus habent de creatione mundi, & hominis plenissima sunt luce, robore, utilitate, sapientia: & turpitudinem ostendunt puerilis philosophiæ antiquorum, insipidas ineptias quorum repercutiunt, & referunt nuperi. Vix enim oculos Revelationi claudunt recentes Philosophi Europæi intolerabiles ineptias, fabulas pueriles, & absurdissima proferunt commenta. Deplorando id constat exemplo Plinii Gallici, cujus jam fuit *mundus vitreus in pulverem redactus*: cujusque errores, & contradictiones plane multas Hallerus, Condillacus, Bergierius, Flexier de Reval, Gauchatus, Wallerius, Romè de L'Isle, de Lignac, aliique non pauci demonstrarunt.

V. Peracta creatione Cæli, & Terræ *decorem, & fortitudinem indutus, & præcinctus Dominus* creationem aggreditur hominis, qui naturæ universæ Rex sit, & Princeps; cujus voce muta natura Deo laudes tribuat, & gratiarum actiones, Templumque fiat dignum Deo. Qui Cælum, & terram, & immensa volucrum, & ferarum agmina uno nutu produxerat, nunc massam limi tenuem (Tert. 2. cont. Marc.) non *imperiali verbo, sed familiari manu*, & amica attrectat quodammodo, sculpitque diligenter; statuamque perfectis membris efformat erectam, nobilem, quæ majestatem, & dexteritatem spirat admirabilem. Tum quasi a proprio corde *spiraculum vitæ* educens Deus, summo amore, & benignitate inspirat in faciem ejus; vitamque, & sensum, & rationem, & libertatem, & præstantissima munera impertitur, & stupendam suæ Divinitatis imaginem, & similitudinem.

VI. En hominem creatum! Regem Naturæ & *Genus Dei*. (Act. 17.) Hinc infinita agnoscitur distantia inter hominem Divinis manibus, & spiramine efformatum, & cætera animantia *tumultuarie quodammodo producta solo jussu, & imperio*. (Nyss. Tert. Prudent.) Hinc delirat Plato in Menexeuo Græcos asserens ex Attica terra prodiisse fungorum instar; cum eoque delirant Virgilius Platonizans, (1) & illi veteres, novique Philosophi, qui hominem reptantem vellent, eique parem originem, & naturam cum brutis tribuunt organis tantum, digitis, & unguibus delicatioribus concessis. Quis in Europa Sæculo XVIII. locum fore putasset prodigiis hisce fatuitatis & impudentiæ!

VII. Ad Hominis dignitatem, ad Creatoris munificentiam, & benevolentiam infinitam erga homines intelligendam non parum confert quod Moyses narrat Solem, Lunam, & Stellas a Deo factas *ut illuminent Terram, ut lucerent super Terram*. Quam immensos Thesauros profudit Deus pro Homine tam exiguo, & in exigua universi plaga constituto? Plane cha-

---

(1) De antiquis Tyberinis incolis, Latiique nostri habitatoribus hæc plane miseranda canit Poeta eximius:

Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphaeque tenebant
Gensque virum truncis, & duro robore nata &c.

Sed Telliamedi deliria docentis in præsens pisces sub polo exsiccatos conversos esse in homines, nostrosque Proavos fuisse Salmones & Thunnos; superant quidquid in furiosorum hospitalibus auditum est unquam.

charissimus est ei, & quasi *pupilla oculi sui*. Antiquis Italis Pythagoricis Ocello, Philolao, Icetæ arrisit plures esse Mundos, sive Globos habitatos. Hanc opinionem fallaci analogia permoti restaurare tentarunt aliqui ex Nuperis, qui non solum Planeticolarum describunt Urbes, sed studia, staturam, & occupationes fideliter visas. Hæc somnia refutant Leibnitius, Alembertus & potissimum Paulian. Patribus hæc opinio plena doli visa est, unde eam inter hæreses recenset Augustinus hær. 77. ad Quodvultdeum; sed & ingeniosissimi rident Astronomi. Si Planetæ habitantur, cur non Cometæ, qui verissimi Planetæ sunt? Sed Cometa 1680. ex. gr. adeo ad Solem accessit, ut ejus pene superficiem tetigerit, & ex immenso ardore concepto omnia dissolvi deberent, quæ illum operirent. (1) Hic ergo Cometes non habitatur: *eccur ergo cæteri; & si Cometæ non habitantur, quo jure habitari dicuntur Planetæ?* (Mel. Alemb. T. 5.) Hæc diximus ut Juvenes discant nonnullorum Physicorum audacia systemata contemnere quantocumque doctrinarum, & ratiociniorum apparatu venditentur, quoties minus congruant sensatissimæ Physicæ, & Astronomiæ Mosaicæ (2).

VIII. Interrogante autem Astronomo cur tantæ stellæ a tellure adeo remotæ tacet, & obmutescit minus audax, minusque fabularis Philosophia; at dum illa silet, respondet sensatissime Religio cujus magisterio, & voce indiget Philosophia essentialiter & sæpe (n. 23.) ut tam immensi thesauri stellarum per cæli spatia diffusarum *enarrent gloriam Dei*; *ut luceant ei cum jucunditate qui fecit illas*; ut illuminent terram unaquæque pro situ suo, cujus congruitatem novit Auctor naturæ, ut homines intelligant omnem rationem sufficientem rerum naturalium esse voluntatem Dei, quæ sæpe non est investiganda, nisi ex ejus epistolis ad nos demissis (3) nec supputationes cum Deo, aut natura avare ineundas ab mendicis hominibus; ut nullo labore, & sumptu Deum immensa stellarum corpora uno verbo, unoque voluntatis nutu produxisse sciant, ejusque Omnipotentiam, & divitias vivide persentiscant. Ita homini inutilia non sunt astra remotissima; nihil enim modesto homini magis utile & dulce, quam excelsam & sublimem Divinæ immensitatis, magnificentiæ, & bonitatis notionem comparare ex cælorum aspectu; nihil magis terrere & dejicere debet homines superbos, qui precaria axiomata mendicitatis naturæ impingunt, (*non debet fieri per plura &c.*) qui perpen- [illegible] diculo [illegible]

(1) Hic cometa Newtono supputante calorem concepit bis mille vicibus majorem calore ferri candentis. Quæ aura, aut atmosphæra fornacis hujus ardentissimæ sævos ignes potuit mitigare?

(2) Videri poterit Cl. Barruel *les Helviennes*; tum historia Moysis a Physicorum, & Historicorum commentis vindicata; tum Principes de la saine Philosophie &c.

(3) Pro immoto canone statuunt plures indecorum esse, & veluti incongruum Philosopho uti unquam Scripturis, & luce revelationis. Socrates, & Plato revelatione carentes eam summopere optabant, ut possent recte philosophari. Nuperi qui habent, ex eaq. ditati sunt, fastidiunt. Nos coarctandum putamus hunc canonem, ut sit legitimus, sincerusq. Ubi vera solidaque ratione transigi res possit, & veritas, proindeq. religio Christiana illæsa maneat, omittant ut libet Philosophi scrutari archiva Sanctuarii; At ubi Philosophia cæca est, prout est sæpissime, cur erubescat Videnti manum dare ne in foveam cadat? Quæ Logica cæco ductorem prohibet?

diculo, & circino assumpto metiri audent inexhaustas ejus opes, quam videre omnia systemata, supputationes, & conatus hominum subverti unico cælorum intuitu. (1)

IX. Sed excessu peccant opposito illi, qui dum audacter fabulas omnes fingunt, dubitandum volunt Democritea modestia de certissimis, & evidentibus caussis finalibus, ut fere Providentiæ Divinæ locus nullus sit. Si quosdam nuperos audimus Philosophos dubitare debemus an oculi ad videndum sint fabricati, & aures ad audiendum, poma & segetes ad alimentum hominum, vellera ad eorum vestes, boum terga, & jumentorum ad labores, & agriculturam, an ovium docilitas, canis fida custodia, & tam blanda Dominorum adulatio, ceteræq. naturæ divitiæ ad hominis utilitatem a Deo benignissimo hominum Patre fuerint conditæ. Ita utrinque sæpe claudicat philosophia modo tumida, modo sceptica. Hosce scopulos evitabunt Adolescentes, si juxta Conciliorum, & Pontificum regulas, & Ecclesiæ vota Philosophiæ ita incumbant, eamque tractent, ut Theologiæ inserviat. Ita securior, & clarior, verior, diuturnior, utiliorque erit Philosophia. (2) Non solum cavere debent, *ne*

B *quis*

---

(1) Maupertuisii hoc in genere culpanda speciatim est puerilitas, & petulantia. Sed ejus principia quædam vestibus geometricis circumvoluta jure contemnet adolescens ex sensu communi, & simplici naturæ inspectione. Natura Elephantem, & Rhinocerotem immania corpora! movet quatuor pedibus: Echinis autem *minutulis* rotatione progredientibus millenosq., centenosq. dedit; Et vermiculos polipedes terrestres tibiis centenis armavit. Cur plures pedum decades parca, & ab expensis abborrens, & *minimum* affectans, & paupertatem professa natura non subtraxit? labimur in congruis, aut necessariis supputandis insecti pedibus, & stellas audemus ad lancem appendere? & severas parsimoniæ leges observandas naturæ præscribere? Hoc loco inutile non erit Theologiæ candidatos monere, ut parum admodum fidant systematibus completis quibuscumque Philosophorum. Observato subtiliter, tentatoq. cælo ad pauca millia coacta fuerat stellarum militia; Et initiati in Astronomia Adolescentes parati ferme erant ad respondendum Deo provocanti: *Numera stellas si potes*. Ex una Herschelii nuperrima exploratione Lalandius suspicatur ad 70. milliones posse extendi stellarum familiam. Alii omnia arbusta, & plantas colligentes ad 20. millia Plantarum vegetabilis naturæ divitias concluserunt. Cl. Commerson ad insulam Madagascariam Gerardum Cortenovis Cong. nostræ pium, & doctum Theologum, & Philosophum Episcopum, & Vicarium Apostolicum alloquens Europæorum simplicitatem ridebat; tum epistolis in Europam missis monuit: „ Che alla vista dei tesori gettati a piene mani sulla fertile Madaga-
„ scar non si può contenersi dal compassionare que' malinconici speculatori di Gabi-
„ netto, i quali passano la lor vita in fabbricar vani sistemi, e con tutti i loro sforzi
„ non fanno che castelli in aria.... Io solo ho già raccolte venticinque mila piante...
„ E non mi lusingo d'averne raccolta la quinta parte.... Bisogna dunque riguardare
„ tutti i sistemi fatti, e da farsi per lungo tempo come processi verbali de' differenti
„ gradi di povertà della scienza, o dell'autore quando partorì il suo sistema. „ Hæc a fortiori possumus transferre ad systemata quæcumque, in quibus naturæ principia intimiora, elementa prima, causas generales, arcana organizationis universalis, viresque omnes mundanæ fabricæ, vel ipsas species, vel classes omnes piscium, avium, reptilium velint homines comprehendere, & explicare. Jus enim transferendi nobis tribuit non experientia modo, sed ipsa Scriptura in Jobo, Sapientia, & Eccl.

(2) Adsunt non pauci sobrii, & acuti Philosophi, qui ex Astronomia, ex physicæ universæq. naturæ contemplatione ineluctabiles deducunt demonstrationes divinæ bonitatis, providentiæ, sapientiæ, frustra frementibus Gnosticis nuperis. Nos adolescentibus Pluchium vehementer laudamus nocturna versandum manu, pariterq diurna. Utinam novam Italicam versionem ejus aptam, simplicemq aggrederetur aliquis ex viven-

tibus

quis eos decipiat per Philosophiam, ut intonat Paulus ad Coloss. 2., sed diligenter in natura, quæ opus Dei est, fulgidissima vestigia quovis passu occurrentia manus ejus omnipotentis, & providentissimæ debent inspicere, & explicare, quæ delere conantur Philosophi plures. Imo ipsius revelationis tum Mosaicæ, tum Evangelicæ, quædam ***numismata authentica***, ut Fontenellii utamur verbo, invenient in natura, in quibus abradendis jamdiu laboratur. Quippe veritati Pentateuchi, & Historiæ Mosaicæ natura ipsa muta, & integra superficies globi terraquei testimonium reddit, dum narrationem Noetici Diluvii, quæ pars est Pentateuchi difficilior, & magis ardua verissimam testatur lapidefacta testacea, & crustacea abdita in montium visceribus exhibens undequaque (1).

X. Lapidefacta vero corda Judæorum, qui universam tegunt terram, numismata sunt evangelicæ historiæ, & adventus Christi. Conditio, & status omnino prodigiosus existentium Judæorum testimonium reddit veritati evangelicæ historiæ, prophetiarum Evangelicarum, Christique a Deo missi. Ita quilibet Judæus oculis visus, & integra natio orbem replens Evangelii veritatem nesciens prædicat. Sed ad Adamum revertamur, a quo paullulum oculos deflexim͏us, ut filiis ejus utilia exhiberentur.

XI. Hominem vix conditum Deus quasi ducens manu introduxit in regiam castæ voluptatis sedem, in qua collectæ omnes naturæ divitiæ, naturæque leges omnes coactæ inservire commoditati Principis orbis terrarum. Hinc solis calor sine uredine, noctes sine humiditate, auræ perpetuo lenes, & tepidulæ, perpetua viriditas terræ insatiabili varietate, constans Cæli amænissimi serenitas, grati aquarum discurrentium susurri, blanda terræ docilis cultura sine ullo labore, plantæ vel fructibus oneratæ, vel roscida sudantes odoramenta; Feræ omnes cicures, mansuetæ, & suaviter adulantes; elementa deniq. omnia jussum expectantia, vigilemq. famulatum exhibentia Regi naturæ. Quam vivaces, & gratæ apud Basilium, & Patres inveniuntur picturæ innocentium deliciarum primitivæ sedis humanæ naturæ!

XII. Corporis vero, animiq. quam perfecta constitutio in Adamo innocente? Pretiosum in primis aderat lignum vitæ, quod mortem, morbos, corruptionem, & senectutem arceret, lentiq. Mechanismi naturaliter ad dissolutionem trahentis conatus dissiparet secretis viribus, & balsamo juventutis floridæ membris immortalibus perenniter infuso.

XIII. Quam mirabilis, placida, & suavis animi humani in sinu ordinis, & integritatis quies? Non cogitationes involuntariæ; non desideria subito explosa, & rationem prævenientia; non repugnantia, aut difficultas

---

tibus Italis, quorum tam multi excellunt in arte scribendi, & Italicæ linguæ indolem, & vires noverunt exquisite. Scientiam simul, & elegantiam scribendi, & optimas vivendi regulas uno haustu biberent adolescentes, & puellæ.

(1) Astæ ad portam Taurinensem sectus profunde & usque ad radices collis præaltus inter cretacea strata non solas exhibet conchas marinas, & testacea, & exotica arborum folia sed ossa, & humana capita prægrandia, & gigantea. Alibi inventa, & defossa ossium congeries immensa, ferri elaborati frustula &c. Hæc ostendunt non ab origine mundi sed post habitatam ab hominibus, & animalibus terram; colles illos, montesq. exortos ab universali diluvio superveniente.

tas contra virtutem ridentem, & amabilem: non feroces passionum morsus; non fervor ebullientis sanguinis, acriterq. animum extimulantis; non ulli demum animi, aut corporis rebelles motus. Quis profundæ hujus pacis, vivacitatis, lætitiæ, & imperturbabilis serenitatis a tædio, molestia, tristitia, cupiditate, desiderio, timore quovis exemptæ delicias, & suavitatem metiatur?

XIV. Mens autem Adami quam perspicax, quam vivida ejus acies, quæ veritatem sine velo, & tenebris intuebatur? Fuit certe in Adamo vasta prorsus scientia, & mirabilis. Præsentes scientiæ, quas in immensum succrevisse suis laboribus gloriatur Philosophia, quanto adhuc intervallo distant ab scientia Adami innocentis, qui sine ullo labore, & temporis dispendio ea cognovit, quæ in præsens fractis ex pertinaci studio corporis viribus, & canitie caput aspersi homines acuti nondum percipiunt? D. Th. 1. p. q. 94.

XV. Hominem sibi carissimum, tantisque donis oneratum cumulavit Deus summo dono, gratia nempe sanctificante, qua filius Dei, ejusque amicus constitutus est. Quam felix igitur, magnus, admirabilis, perfectus, dives, innocens, sapiens, gloriosus, pacificus, & Sanctus prodiit homo ex Dei manibus! Vere opus erat dignum amantissimo, & liberalissimo Deo.

XVI. Dubium non est Adamum ad permanendum in bono indiguisse adjutorio gratiæ Dei. Sed alii necessitatem gratiæ efficacis adstruunt, alii negant; docti omnes, piique Theologi in Augustini, & Thomæ lectione strenue exercitati. Nobis satis fuit insignia fragmenta ex lib. de Corr., & Grat. recitare. Quæstionem liberam attigimus; sed cum magni extent magnorum virorum conatus, & labores in utramque partem summis viris rem opere non brevi dissolvendam reliquimus.

XVII. Immensa Adami innocentis gloria, cujus splendor aliquis etiam in nos reflectitur ejus filios crescit vehementer, quia fuit typus Jesu Christi Domini Nostri. Primus etiam fuit ejus Propheta, qui humanam loquelam vix efformatam vaticinio sanctificavit. Quanta etiam in verissimis, & realibus Paradisi deliciis, divitiisque invenimus emblemata, & typos spiritualium divitiarum Jesu Christi, qui nobis restituit longe plura, quam perdidimus in primo homine? Si nos terrent flammati Angelorum gladii ad portas Eden collocati, ne hominibus aditus pateat; nos consolatur Christus, cujus dona sunt longe sanctiores emissiones Paradisi.

XVIII. Hactenus rosas inter, & amæna vireta ambulavimus. Dejiciendi nunc sunt oculi in præsentem hominis constitutionem. Quam oppositum, & terribile spectaculum! *luctus ubique, pavor, & plurima mortis imago*. Paupertas, labor, dolores humanitatem opprimunt. Oculum convertite in Nosocomia; in mæstas hasce Bethsaidæ porticus, ubi veluti in censum veniunt ægritudines, quæ homines depascunt, & suffocant. Index humanarum infirmitatum quamquam magna impleat volumina, quæ decem Camelos onerarent nondum expletus est, & scientia medendi, quæ cæteras naturales utilitate, & necessitate superat, reliquis obscurior est, & incertior certissima, & clarissima hominum miseria, & calamitate.

XIX. Elementa in hominem quasi exauctoratum regem rebellia: Cor inquietum flagranti ardens siti felicitatis, quam in natura non potest invenire utcumque per ardua, & plana totis viribus eam quærat: „ La terra ingrata piena di spine accorda appena a suoi sudori, ed alle sue „ lagrime un pane insipido. Il sole lo brucia, il freddo lo divora, gli „ animali lo insultano, e lo sbranano, la gragnuola rapisce la sua fatica, „ il turbine atterra la sue case, pone in desolazione le sue campagne, „ il mare lo inghiotte, il fulmine lo incenerisce, la terra trema, e lo „ seppellisce: tutto cospira contro lui: L' uomo animato dal desiderio „ vivo della felicità non può trovare dilettevole un mondo seminato di „ spine, e bagnato di lagrime „. Ab hominibus dolorum, & calamitatum sociis utilitates equidem obtinet homo non contemnendas: sed quantas etiam, & horrendas plagas! Mortis gladius capiti impendens crine vinctus uno miserrimum hominem reddit. Quæ de contemnenda morte post Platonem, & Ciceronem quasi amuleta venditant Philosophi mera sunt mendacia, & ineptiæ, quæ atroces cordis timores, & convulsiones nil mitigant. (1) Furiosam quandoque canum, & luporum virtutem contra mortem ostenderunt Heroes sæculi in æstu passionum. Sed in grabato injicientem frigidas manus exhorruit mortem ipse Alexander Macedo, qui eam in campo armatus millies provocavit, & lacessivit. Christianus solus mortis faciem, & gladium inter lintea decumbens scit contueri, & perferre sine fastu, & sine abjectione, humili fronte, & erecto animo. (2)

XX.

---

(1) Ex Christianorum libris hauriendæ sunt veræ consolationes contra mortem: *Consolamini invicem in verbis istis* ajebat Paulus, nimirum *istis* non in verbis Phædonicis, aut Tusculanis, aut Philosophicis quibuscumque, quæ solam parere possunt vel brutalem stupiditatem, vel desperationem. S. Bonifacius Martyr, & Apostolus Germaniæ a Pont. Rom. Gregorio II. & III. ad Germaniæ salutem missus (ut Augustinus a Gregorio I. ad salutem Angliæ, aliique multi ad civilizationem, & salutem Europæ universæ) librum Ambrosii *de utilitate mortis* secum in itineribus ferebat, & fortiter suaviterque gladium persecutorum ferre didicit. Philosophi qui remotam contemnunt mortem proximam perhorrescunt (in monte sedens iram Pelagi, & minas irridet audacter, & facile: uti Hobbesius incredulus lucente sole intrepidus qui noctu mortis falcem prælongam, & larvas timebat perpetuo). Bion Borysthenita satyricus Philosophus, & Deorum contemptor in mortis lectulo stratus usque ad superstitiones aniles descendit. „ Questo „ *Confiteor* di Bione (inquit Bayle) non deve far gran maraviglia; è la condotta ordinaria della maggior parte degli empii, i quali non fanno che dubitare, e mai giungono alla certezza; Pochissimi empii hanno alla morte il dono di perseveranza come lo chiamava Sainthibal uno di essi. Si disonorano, si smentiscono, e muojono „ tutti come gl'altri. „ Horrenda mors Voltairii trementis, desperati, ululantis ferino more universam Europam perterrefecit. Alembertum, & Diderotum vacillantes, & Religionis piam opem jam prope acceptantes absconderunt Clientuli ut invisibiles morerentur, ne insanabile opprobrium philosophiam operiret.

(2) Legionibus Christianorum mors non solum levis, sed plane læta, & suavissima fuit. Placet nominare Ven. Juvenalem Ancina Fossanensem ex Præsb. Oratorii Rom. Episcopum Salutiensem, quem ut animam purissimam venerabatur, & unice diligebat Philippus Nerius, Franciscus Salesius, & Cardd. Baronius, & Tarugi. Huic homini, quem Roma, Neapolis, & Italia subalpina ut Patrem, & consolatorem hominum, & pauperum refugium colebat, perfida manus venenum propinavit. Dum laceratis visceribus, & stomacho diris doloribus omnes mærent; excelsus ipse Princeps Carolus Em-

XX. Sed cordis humani miserias præsentes quis enumeret *quantovis eloquentiæ flumine?* ut inquit Aug. Ignorantia, concupiscentia, terribiles in malum inclinationes, & impetus, affectusque indomiti, & contumaces hominem torquent, & misere exurunt: „ Fatto per la verità, e la virtù, lo „ spirito dell'Uomo è immerso in dense tenebre. Egli non conosce il suo Dio, „ la sua Religione, la sua Legge; si rende il zimbello de' suoi pregiu„ dizi, e de' suoi errori; il suo cuore è teatro umiliante delle più vi„ ve passioni; insuperbito dall' orgoglio, animato dall' odio, e dalla „ vendetta, roso dall' invidia, divorato dalla cupidigia, snervato dalla „ mollezza, guastato dal piacere, agitato dai suoi desiderj, degradato „ dall' intemperanza, tutto lo arma contro l' ordine, e la virtù. Per „ praticarla conviene che ei reprima con coraggio, e violenza i più vivi „ sentimenti di una natura sempre a lui cara malgrado il suo sregola„ mento „. Passiones vehementes, & efferatas laudant Philosophi plures, quia identidem illustria facta, & societati utilia producunt. Sed qui ab iis urgentur fortes sunt *immanitate febris*, ut ait Augustinus. Mendaces passionum vehementium laudatores non attendunt, quam misere cor hominis, quasi vulturis morsibus dilanietur a passionibus ardentibus, quam crudelem tyrannidem exerceant feroces affectus. Non attendunt quam innumera mala (nos cum Augustino enumeramus longo sermone) & vulnera sævissima, & atroces plagas inferant hominibus violentæ passiones, quæ luctu, rapinis, gemitu, sanguine terram perpetuo inundarunt. Integra societas submergitur, & perit ob hominum vitia; & placide Philosophi funestissimas vitiorum officinas commendant. (1)

XXI. Homo ergo ut est in præsens infelix, miser, mortalis, jugo ferreo ignorantiæ, & concupiscentiæ obnoxius toto cælo differt ab homine primitivo. Unde tam magna disparitas? Unde tanta in homine miseria a nativitate? Ænigma naturæ humanæ veteres, & novi Philosophi explicare conati sunt. Sed meras ineptias protulit Philosophia a Sanconiatone, & Platone ad Helvetium usque, & Volterium nostrorum dierum. Sola Religio Christiana in clausum hoc, & inaccessibile adytum penetravit.

XXII.

Emmanuel; Juvenalis unus perstat immotus; de veneno, & auctore loqui vetat; spondentibusque ad Deum preces, ut convalesceret subridens inquit: *Miei cari lasciatemi andare, si sta meglio in Paradiso*. In terram, vel super paleas postulat deponi: *Almeno fratelli su la paglia se non in Croce*; Et ut genitor itinere completo tranquille in domum descendens filiis iter prosequentibus affectu, monitis, sollicitudine prospicit ita Juvenalis cycnaea voce adstantibus aurea dat monita, flentibusque omnibus ipse sine fletu hilari fronte in Domino suaviter requiescit. Qui Socratis Cicutam, ejus scepticismum, pueriles disputationes extremas, impia legata, fictamque fortitudinem auderet morienti Ancinæ magno vel a longe comparare plane insensatus, fatuusq. habendus esset.

(1) Ex Dideroti, & Helvetii logica sequitur ursos, luposq. fovendos, & multiplicandos quia identidem devorant corvos, vulpes, mures, talpas, mustelas agris perniciosas. Oh mentem mirabilem Philosophorum nostrorum! Quam turpe Gnosticis nuperis eorum puerilitates irreparabiliter prostratas aspicere ab homine pagano? *Isto modo* inquit Cicero *licet dicere utilem vinolentiam ad fortitudinem, utilem etiam dementiam, quod & insani, & ebrii multa faciunt sæpe vehementius. Semper Ajax fortis, fortissimus tamen in furore, dicamus igitur utilem insaniam.*

XXII. Peccavit Adam, ejusque peccatum in omnem ipsius posteritatem propagatur. Hinc etiam illius criminis pœnæ in posteros fluunt. Hinc facultates naturales attenuatæ, & debilitatæ; hinc immensi, & gratuiti thesauri cælestium donorum effusi super hominem primitivum erepti nobis: hominisque animus marcescens in tenebris ignorantiæ, & impetu pulsatus rebellium affectuum, qui eum perpetuo ad malum inclinant. Hinc mors corporis, quæ ipsa pæna peccati est: hinc ærumnæ cæteræ, quibus humana premitur propago, quas late recenset Augustinus lib. 22. de Civit. Dei c. 22. Calamitates tamen, & dolores naturæ in hoc corruptionis statu remedia esse possunt homini; eosque etiam tanquam aculeos admovet Deus ne in gremio naturæ socorditer dormiat æternitatis, & Creatoris oblitus.

XXIII. Hinc jam intelligitur arcanum illud, quod Veteres acutissimos adeo torsit; quomodo scilicet in homine sint tam insignia sublimis, præstantis, & excellentissimæ naturæ vestigia, & tanta simul adsint abjectionis, miseriæ, & corruptionis. Primitivæ nimirum perfectæ conditionis magnæ quædam restant reliquiæ in nobis, sed per peccatum obrutæ, & corruptæ, ut magni edificii vastæ qnædam ruinæ. (1)

XXIV. Hinc peccatum originale est quidem mysterium obscurum; sed eo negato obscuritates crescunt, & ænigmata; & penitus absurda, & incomprehensibilis fit natura humana, quæ eo admisso apte intelligitur. Magna laus est Religionis Christianæ, ut ipsa ejus mysteria abdita magnam lucem emittant, & nebulas dissipent naturæ circumfusas; ut sola rationem reddat, & sublimitatis, & abjectionis humanæ, & originem explicet contradictionum, quæ sunt in homine.

XXV. Pœnas etiam attigimus plane subeundas ab infantibus cum originali peccato decedentibus, idest absque baptismo, sine quo nulla spes est regni cælorum, & vitæ æternæ. Quæstionem concludendam putavimus sensatissimis iis Aug. verbis: *Potest eorum merito dici in illa damnatione minima pæna, non tamen nulla*. Tum illis l. 5. contra Julianum cap. XI. *Quis dubitaverit parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissima futuros? Quæ, qualis, & quanta erit quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli essent, qnam ut ibi essent potius expediret*. Hæc verba, quæ nos avide arripimus, & in pectoris scrinio reponimus sapienter illustrans cl. Card. Norisius docet ignem pueris *calorem eum aliqua molestia allaturum, sed non ustulationem, & combustionem, nam si ab igne comburerentur profecto melius illis esset nunquam extitisse*.

XXVI. Quæ ad naturam peccati originalis aliquo modo explicandam per-

---

(1) Ex non intellecta duplici hominis natura, sive corruptione & Stoici nugivenduli, & Epicurei fædiores in abyssum stultitiæ prolapsi sunt. Stoici hominem infirmissimum invulnerabilem, & Deum facere conati sunt, & superbia trahere ad virtutem, quod est fatuitate plenissimum. Epicurei desperantes ex homine brutum faciunt, corruptionem n turæ sequi permittentes quod est penitus detestabile. Sine cognitione peccati originalis, & corruptæ proinde a radice prima naturæ nihil potest intelligi sive in historia Generis humani, sive in hominis statu, sive in cursu naturæ Physicæ, sive in ordine morali.

pertinent hausimus ex D. Thoma l. 2. quæst. 82. Ejus etiam brevitatem imitati sumus. Theologi enim severe docent omnino mysteria non esse curiose scrutanda, & fodienda: & sapienter prorsus. Qui ipsa naturæ Physicæ, mysteria, vires, principia, & arcana intimiora rimari ausi sunt nihil aliud, quam ineptias protulere. Irritos, & infelicissimos audacium metaphysicorum conatus naturæ arcana scrutantium irridet Alembertus. Qui vero mysteria religionis nimia, & effræni curiositate explorarunt, oppressi fuere a gloria; eorumque plures ut Valentiniani, Ariani, Sociniani, & nuperi Deistæ omnem Religionem amiserunt. Pretiosum ergo Velum, quo mysteria veluti in Sancto Sanctorum conteguntur disrumpere non tentabimus. Veneranda est obscuritas, & nobis ipsis saluberrima. Cum nebula majestatis Domini implet Templum nec ipsi choro Sacerdotali licet introire; imo cum Moyse faciem abscondit *non enim audet aspicere contra Dominum*. Mysterium est? non investigatur. *Nihil ultra scire omnia scire est*: ajebat Tertull. de præscrip. Ipsam naturam videmus plenam mysteriis, idest veritatibus indubiis, & tamen incomprehensibilibus; Quid est motus, cujus ne definitionem quidem exactam tradere potuerunt Philosophi? Quis nexus animæ, & corporis nostri? quid magnetismus? quid ipsa gravitas, cum nondum intelligamus, Alemberto teste, (*Encyc. Art. en. Ciel.*) perchè una paglia caschi. Vivimus inter infinita mysteria naturæ inintelligibilia, & examina inutilia, imo noxia prudenter omittimus, & mysteria, Deo loquente, revelata audebimus explorare? Cum vetet Paulus exclamans, *oh Altitudo*! Pelagiani curiosius mysteria inspectantes in infinitos errores prolapsi sunt. Protestantes eodem spiritu ducti dum gratiæ mysteria audacius explorant in opposita absurda plane horrenda demerguntur, immo in infinitas scinduntur sectas. Joannes la Fite Minister Calvinianus fatetur. „ Che le dissensioni in materia di grazia, e la troppa cu„ riosità di voler scavare sono state principalissima occasione de' Scismi „ deplorabili, che ancor oggidì lacerano i Protestanti „.

XXVII. Mantissæ loco dedimus nonnulla de statu naturæ puræ. Negant plures illum etiam exemptum a præsenti indomita, & furiosa concupiscentia possibilem esse; plures asserunt ex Scholis variis; inter quos L' Herminier, Ludovicus Habert (Serrius ipsum Augustinum, & Thomam producit) & ex Congr. nostra Recrosius Episcopus Niciensis sanctitate, & doctrina excellens, cujus virtutes examine, institutoque processu collectæ fuerunt in Curiis Episcopalibus Niciensi, & Vercellensi. Quoniam ergo utrinque stant viri docti, & graves in Scholis pluribus; nos hanc immensam quæstionem vix tactam relinquimus ob temporis angustias, & rerum attingendarum copiam.

XXVIII. Subverentibus autem ne ex prætermissa hujus hypothesis discussione consectaria oriantur noxia satisfieri posse videtur observando; noxia principia quæcumque tum brevius, tum clarius refutari si possibilium scrutatione dimissa incedatur per viam factorum, ut Serryus facere instituit, & per tradita a Deo documenta pro nostro reali statu, quod nos infra præstituri sumus; longiorem autem multo esse viam, & implicatiorem cum de possibilitatibus agitur, & de controversia connexionis.

XXIX. Hujus discussionis loco contemplabimur commodius mala, & vulnera præcipua naturæ nostræ præsentis ut intelligamus quam sublimia, & divina remedia attulerit homini lex, & Gratia Christi. Duas præsertim acerbissimas, & profundas plagas millies aspicit, & deplorat Augustinus; nimirum *ignorantiam*, *& difficultatem*, sive concupiscentiam. Et ignorantia quidem immensa generis humani ex lugubri aspectu Idololatriæ, quæ orbem integrum occupavit, deprehenditur. Prophetæ omnes spiritum vertiginis, & dementiæ exprobrant Paganis. Noctem tenebrosam involvisse terram integram docet Paulus Idololatriæ tempora, *tempora ignorantiæ* appellans antonomastice. Legentes Clementem Alexandrinum, Tatianum, Athenagoram, Justinum, Julium Firmicum, Theophilum Antiochenum, Tertullianum, Arnobium, Lactantium, qui Pagani Philosophi ingeniosi antea fuerunt, horror, & stupor invadit ob picturam, quam exhibent infandæ cæcitatis generis humani. Egregie Bossuetus in hist. univ. „ Il fondo dell' Idolatria era un' ignoranza brutale, „ un rovesciamento del buon senso: un intera depravazione del discer- „ nimento umano, un delirio, una frenesia. Gli errori rozzi non me- „ no che empii, che riempivan la terra erano senza rimedio; e la vo- „ ce della natura, che annunziava il vero Dio era soppressa „.

XXX. Quis certe non miretur Ægyptios, Chaldæos, Phænices, Græcos, Romanos tam impense nobis pueris laudatos quoad religionem pertinet nostris Tartaris, Calmuchis, Lapponibus, & Nigris stupidiores fuisse, & magis barbaros? Quæ numina! Dea Tussis! Dea Febris! Dea Orbona! Dea Mala Fortuna! Deus Terminus! (1) (auribus parceremus si Augustinus non recensuisset): Deus Stercutius! & Dea Cloacina! Qui modus averruncandæ Deorum iræ! Qui pænitentiæ & placationis ritus, Circensibus, & Theatralibus ludis fere conclusi! Victimæ humanæ in omni terræ superficie feralibus Diis oblatæ! Ab avicularum volatu, a gallinarum appetitu, a rubedine carunculæ vitulinæ, *a soricis occentu* respublica pendebat integra, soricique jubenti parebant paludati consules, dictatores armati, togatusque Senatus, & comitia populi Romani. Legendus Augustinus; qui ex instituto veterum Paganorum fæditates, & stultitiam prorsus incredibilem eruditissimo, & immenso explicat opere de Civ. Dei XIV. annorum labore conflato.

XXXI. Nationes etiam præsentes in quatuor Orbis partibus, quæ Evangelica carent luce quam brutales! Chinenses a Volterio tanquam veri Dei cultores illibati, & sapientissimi hominum commendantur. At post plurimos doctos viros Episcopi ex Congregatione nostra, & Vicarii Apostolici, in iisque speciatim Mantegatius Episcopus Maximianopolitanus, (2) qui

(1) Recte Lactantius l. 1. Cap. 20. „ & huic ergo publice supplicatur quasi custodi finium Deo, qui non tantum lapis, sed etiam stipes interdum est. Quid de his dicam, qui colunt talia nisi ipsos potissimum lapides, ac stipites esse? „

(2) Annis multis trans Auroræ flumen Gangem vixit Mantegatius vir acerrimi ingenii fidei propagationi incumbens. Talapoinum ad fidem conversum paucis abhinc annis, & pietate fervidum Romam duxit; & secum ad Peguana reduxit littora, ubi Apostolicos resumpsit labores.

qui cum Mandarinis Sinensibus de Religione egit, eos astrologiæ judiciariæ deditissimos, & pessime, & stultissime de Dei natura sentire dolenter agnovit; & quæ sensata circa Religionem habent, ab Europæis Sacerdotibus eos hausisse profitetur. Recte adeo de anima sentiebant olim ut Tartaro Imperatore capillorum abrasionem jubente, plures mortem oppetierint ne anima rasa, & decalvata apparerent ante ora mortuorum. Quæ autem Confucii, Socratis Sinensis, fuerit sapientia ostendit Card. Gerdilius. Chinensium vero mores plane fædos describit Anson Britannicæ classis Præfectus, qui eos diligenter inspexit (Viag. int. al Mond. Livor.)

XXXII. Quis vero crederet in Philosophis nostris mentiendi audaciam usque adeo progressuram, ut contra evidentiam plenissimam, perpetuamque veteris, & novi Testamenti attestationem negarent Antiquos Ægyptios, Romanos, Græcos &c. fuisse veros Polytheos, & Idololatras? hoc tamen audent asserere de Maillet, Volterius, & Encyclopedistæ.

XXXIII. Non defuerunt, ut ex Justino M. patet, nec adhuc desunt qui nobis tanquam humani generis magistros, & promptuaria sapientiæ Poetas, & Philosophos veteres exhibeant, qui populis remedia venderent contra ignorantiam. Paradoxa Daceriæ Homericorum Penthesileæ nota sunt. Nos vestigiis inhærentes Patrum Primitivorum, qui sui muneris esse Philosophos, Oratores, & Poetas ad lancem exigere Sanctuarii arbitrati sunt, & speciatim nobilissimi Romanorum Magistri Justini M., & Minutii Felicis, Nazianzeni, Augustini &c. de iis pauca dicemus, primumque de Homero Principe Poetarum, quem Græcæ sapientiæ fontem, & originem putarunt multi. *Homeri opus* inquit Justinus M., *est tota Rhapsodia, ac Iliadis, & Odysseæ principium, & finis mulier..... Quæ Poetæ composuerunt, rabiei & vinolentæ cujusdam petulantiæ sunt monumenta*. Si maniacus, & ebrius, & petulans Justino Homerus videtur, Origeni videtur etiam juventutis pestis, 4. cont. Cels. Platonemque laudat: *qui Homerum, aliosque similium Poematum auctores exterminavit a sua Rep. tanquam juventutis corruptores*. Theodoretus insuper tetram persentiebat mephitim ab Homeri poemate exhalantem: „ quæcumque autem de ipsa re fabulantur Poetæ, omittemus, neque illos, ut Plato faciendum putat, aspergemus unguento, sed potius contra eum fætorem, quem pessime ipsi olent, nares communiemus. „ *Therap.* 5. Imo vero ab Archidiabolis afflatum Homerum censet sociosque; „ malignissimus Dæmon voluptuarios, violentos, lascivissimosque Deos cælites & marinos fieri curavit, qui ejusmodi flagitiis cælum, & terram, & pontum, & sylvas inquinarent. Has vero tam fædas, abominandasque fabulas Poetis, & Philosophis insufflavit. „ *Therap.* 7. Nazianzenus autem Or. 3. Homeri fæditates fuse persequitur, & miratur Homerum morte dignum non fuisse capitali supplicio damnatum a Græcis ob horrendas blasphemias in Deos, & inquit: „ nam cum in eos, qui unum quempiam Deorum privatim etiam, ac levi maledicto affecerint capitalis pæna legibus constituta sit, quas tandem eos pendere oportebat, qui in omnes simul, & publice, & ob fædissima flagitia poesis suæ aculeos strinxerunt, atque hanc comædiam posteris in longum tempus tradiderunt? „

XXXIV. Sed missis aliis Patribus Græcis, Theophilo Antiocheno, Athenagora &c. optimis sane judicibus, & inappellabilibus, qui singulatim recensent fæda Homeri portenta, Augustini nostri suspiria & lacrymæ tacendæ non sunt, qui Homeri deplorat perfidiam, mentemque fætidissimam, & sceleratam omnia nefanda vitia sanctificare,& deificare tentantem: *fingebat hæc Homerus*, inquit, *& hominibus flagitiosis divina tribuit, ne flagitia putarentur, & ut quisquis ea fecisset non homines perditos, sed cælestes Deos videretur imitatus*. (1)

XXXV. Pagani ipsi Homerum ex impuro corde fœdissima evomentem colaphizarunt, & execrati sunt. Plato in primis Homerum sæpe verberat, nec leni, mollique flagello. (2) Acrius Xenophanes Homeropates (*Homerum calcans*) Princeps Eleaticæ sectæ in Italia; tum Heraclitus Philosophus, qui colaphis abigendum censuit apud Laert. Ipsi Athenienses ho-

---

(1) Ex his Augustini verbis patet quam enormiter, & fædissime aberrent, & turpia proferant Gravina, & nuperus quidam Arnaudus in elogio Homeri inquiens: „ lascia, che il Filosofo gli rimproveri d'avere abbassati gli Dei fino alla condizione degli uomini; Tu non vederci che un Poeta il quale solleva gli uomini alla condizione degli Dei; e che con questa perpetua associazione della terra col cielo nobilita tutte le passioni, coocilia il più grande interesse alle azioni de' suoi personaggi, e v'imprime il carattere del maraviglioso. „ Tot monstra quot verba. Ideo fustigandus est Homerus, ideo pestis fuit generis humani, & hominum excæcator, & adhuc esse potest, ideo cloaca est sordium, quia homines corruptissimos Diis æquiparat, quia terræ fæces, & excrementa, & opprobria in cælo collocat, quia dum tacet omnes virtutes, nobilitat omnia vitia, & pudorem adimit peccandi; quia sicarios, latrones, piratas, adulteros, ganeones qui furcas merentur nobis ut heroes proponit; nostrum erga eos amorem excitat, & admirationem. Discant Adolescentes Philosophorum recentium eloquentiæ nihil prorsus fidere. Etiam Gravina in sua ratione Poetica quæ a sensu communi, & judicio, & criterio, & recta ratiooe sæpissime abludit, & spongiam meretur perpetuam audet asserere non esse reprehendendum Homerum, quod Diis vitia tribuerit. oh turpissimam cœcitatem! Plato, Cicero, Pythagoras, Varro, Longinus, Zenophanes, Dio, aliiq. pagani *impiissimas blasphemias Homeri* in Deos detestantur, quas Plinius super omnem impudentiam vocat, & Seneca pudorem peccandi adimere docet, & homo Christianus a reprehensione immunem Homerum facit? Quam ridicula sunt etiam illa, falsa, absurda, & paganicam lepram Epicurei Horatii redolentia quæ pronunciat Gravina: „ Chi si porrà con Ulisse in viaggio, s'incontrerà nella cognizione, e scienza di tutti gli umani affetti, raccoglierà dagli avvertimenti di Ulisse l'arte, e la norma di ben reggere la vita. „ Mitto laudes nimias Odysseæ. Longinus qui dormiens melius quam vigilans Gravina de eloquentia sentiebat senectam sapere inquit Odysseam, occidentem esse solem, & languidum, deesse in Odyssea robur Iliadis, esse refluxum fugientis Spiritus, & a littore recedentis, fabulis & narratiunculis incredibilibus confarcinatam esse. Hæc inquam mittimus, & cuicumque cedimus sine resistentia. Dictum illud execramur: ab monitis Ulyssis Sicarii, Prædonis, Piratæ Algerino quocumque nequioris, adulteri, avarissimi, Epicurei, Cyclopis ferocissimi, Sycophantarum principis, hominum teterrimi colligi posse artem, & normam bene vitam regendi. En stupiditatem incommensurabilem in Christianorum mentibus a Paganis scriptoribus nimis avide lectis excultisque productam! Conqueruntur eruditi litterariam servitutem ingenium, & criterium corrumpere posse; sed nos conquerimur cum Augustino, & Patribus mores, & pietatem paulatim posse inficere.

(2) Vehementem colaphizationem Homeri continent hæc verba Platonis simul, & Theodoreti, *Therap.* 2. „ Quid Homerica poesi jucundius? Quid ejus dulciloquio suavius? Et tamen hunc ipsum Homerum Plato procul ejecit ab ea quam ipse constituit Civitate, omnis licentiæ, atque impietatis magistrum appellans: Blasphemare enim, inquit, Adolescentes docet, illisq. flagitiosas de Diis opiniones instinuat, tenerisque adhuc animis inserit scelestas, perniciosas, corruptas disciplinas. „

homines leviculi, & dissoluti Homerum nihilominus in sepulchro conditum tanquam insanientem quinquaginta drachmis multarunt; Homerique furiatam mentem damnant Bion, Philostratus in Heroicis, Metrodorus, Parthenius, Dio in cel. or. Iliaca, Pammenes Thebanus, Protagoras, Cicero, &c. Ipsi ejus effusi laudatores et amici turpissima, & lasciva, & voluptuaria multa in Homero deprehendunt, ut Plutarchus, Athenæus, & Dionysius Halycarnassæus. Immo vero Longinus, & Ponticus Heraclides impiissimum, & blasphematorem fatentur, si literaliter intelligatur, quod fieri necesse est. Frustra enim allegoriarum subsidium quæritur. (1) Si in terris agentem Homerum non suspenderunt Pagani saltem suspendio damnavit æterno & serpentum capillitio apud inferos Pythagoras teste Hieron. Rhodio apud Laert.

XXXVI Vix equidem credibile est quam impia, nefanda, turpia, quæ nec in homines abjectissimos cadunt, ut ait Varro, tribuat Homerus Diis suis Silvestribus, inurbanis, hispidis, ferocibus, efferatis, & sceleratissimis. Dii Homerici latronum more se mutuo onerant conviciis, & probris; Juppiter pugnos terribiles minatur Junoni; Vulcanum pede comprehensum e cæli fenestris ejaculavit in terram, & in tam longo itinere miser hic Deus tibias frangit; Jovi vicissim catenas & carcerem jam paraverant Dii; raptoque in cælum homine Briareo indiguit Juppiter, qui centenis manibus alaparum nimbum Diis minaretur (Se non si trovava in terra quest' ardito Barigello, che mettesse paura alla canaglia degli Dei ammutinati, tutto era finito per il Re de' Numi.) Minerva lapidem in Martis caput summa vi impingit, eumque prosternit; Juno alapis, vel fuste dolat aures Dianæ. Deos plenos mæstitia, rabie, dolore, cælesti sorbitiuncula exhilarat Vulcanus &c. Sed quis Homericum Augiæ stabulum possit aut velit exinanire? (2) Quamquam, Longino teste, propositum Homero fuerit Deos in ordinem hominum redigere, vel adhuc infra; Achivos autem suos Deos facere, tamen adeo non sanæ mentis erat Homerus, ut adhuc sint fædissimi Heroes illius, & duo speciatim ejus Protagonistæ; Ulysses perfecte execrabilis, & Achilles crudelissimus, avarus, impurus, blasphemus, maledicus, hispidus, inurbanus, carnifex. Quæ autem Cl. Vir, & Suavissimus Franciscus Zanotti ad abstergendam fæditatem Homeri, & Achillis fomenta adhibet pellem Æthiopis nil mutant prorsus.

XXXVII. Ut tandem adolescentes Theologi justum de Homero judicium

(1) Ipse Plato 2. de rep. hanc carunculam eripuit Homericis inquiens: „ quotquot ab Homero conficta sunt, hac in civitate nunquam audire oportebit sive aliquem arcanum sensum includant, sive nullum. „ Sed Gregorius Naz. or. 3. allegoricis vestibus, & cincinnis indutum Homerum producentes sibiq. de eo emundato blandientes refutat summo robore. Idem præstat Arnobius lib. 5., & post eum Udenus Nisieli Florentinus.

(2) Ràra patientia quingentas Homeri sententias stulte ridiculas collegerat Tassonus. (Erythr. Pinac.). Hoc museum gemmarum Homericarum spectatu saluberrimum iis fuisset qui Gnomologias Homericas Dacier, Duporti, aliorumq. magni faciunt; & quæstiones morum, aut jura definita autumant hemistichio Homeri. Theologiæ candidato sufficiat videre quæ Justinus M. Theophylus Antiochenus, Athenagoras, Nazianzenus, Lactantius, Theodoretus, aliiq. Patres collegerunt.

proferant, audiant Augustinum: *Non accuso verba quasi vasa electa, sed vinum erroris, quod in eis nobis propinabatur ab ebriis doctoribus*. Itaque Homero concedant vastam vivacemque vim imaginandi & pingendi, incomparabilem sensibilitatem, calorem Sanguinis, animique ingenium, mobilitatem & ardorem, venamq. prædivitem; Sub ejus penicillo virescere omnia, & nativis coloribus florere, ab ejus lyra florem mellis harmonici exstillare. Eo loquente quasi magica incantatione apparent, & versantur ante oculos milites, arbores, naves, maria, feræ, prælia; tumultus auditur, & clamor pugnantium, & ventorum stridor, & fremitus equorum, & equitatus; perhorrescimus toto corpore, & quasi manibus opus est ad avertendos irruentes gladios. Sed post hæc intelligant in Homero exiguam admodum fuisse rerum scientiam, criterium vacillans, cor fætidum, viscera ferrea, mentem malesanam; moralem, & Religionem belluinam.

XXXVIII. Christianis hominibus tandem charitatem, amorem, & mansuetudinem spirantibus quam detestabilis debet esse Homerus, senex ferocissimus, & crudelis, qui nihil aliud amat, & laudat, quam vulnera, cædes, pugnos, calces, vibices, sanguinem, injurias, mortes, strages, qui servi pecoris instar solos, quos videt pravos & rusticos hominum mores scit delineare; nihil autem invenire, quod hominem e brutorum classe elevatum vere honestum, generosum, amabilem constituat; nihil quod sapiat urbanitatem, beneficentiam, compassionem, veniam, amabiles cordis qualitates, & sublimes, quod tamen poetæ nobiles facere tenentur, (1) qui ut Sculptores faciunt eximii, naturæ defectus abscondere, & cor-

---

(1) Ut appareat quantum Christiana religio sensus, & mores hominum rectificaverit, & mansuefecerit sublimesq. ideas honestatis, & virtutis diffuderit inter ipsos homines a sacrario valde remotos, sufficiat crudelissimos & corruptissimos Heroes Græcos, & Trojanos comparare cum Goffredo Tassii Heroe Christiano. Tassius quamvis nimis sæpe Homerizet, & Maronizet, nihilominus Homeri avaritiam, *exanimumque auro corpus vendentis Achillis*, & Virgilii Æneæque ferociam a Religione manuductus sapienter evitavit.

Morto il duce Emireno omai sol resta
Picciolo avvanzo di gran campo estinto
Segue i vinti Goffredo, e poi si arresta
Ch' Altamor vede a piè di sangue tinto
Con mezza spada, e con mezz' elmo in testa
Da cento lance ripercosso, e cinto.
Grida egli a' suoi: Cessate: E tu Barone
Renditi (io son Goffredo) a me prigione.
Colui che fino allor l'animo grande
Ad alcun atto di umiltà non torse
Ora ch' ode quel nome onde si spande
Sì chiaro suon dagli Etiopi all' Orse
Gli risponde: Farò quanto dimande
Che ne sei degno (e l'arme in man gli porse)
Ma la vittoria tua sovra Altamoro
Ne di gloria sia povera, ne d'oro.
Me l'oro del mio regno, e me le gemme
Ricompreran della pietosa moglie

Re-

& corrigere, & pulchritudines augere, & colligere debent. Homerus certe pessime de humano genere meritus est, quia hominum furorem, & crudelitatem accendit & exaltavit, stulte docuit posteros canere hominum Carnifices, quod stulte fecerunt, & millia demum peperit homicidarum. Alexander Macedo, qui sua manu Homerum exscripsit, unice dilexit, sub capite tanquam suavissimum pulvinar dormiens reponebat. quid ab eo didicit nisi homines excoriare, ira impotenti leonum feritatem æquare, urbes diripere, populos jugulare, in balneis humani Sanguinis natare suaviter, Asiam stragibus & cadaverum acervis operire? Evidenter ut Achillem Homericum Hectora raptantem imitaretur Betim Gazæ præfectum strenuissimum, summisque iis laudibus honorandum, quibus Princeps Eugenius (subalpinæ Italiæ splendor, Europæ, & Orientis terror, Fabio, Scipionibus, Themistocle, & Annibale bellica quidem virtute superior, sed humanitate, justitia, innocentia prorsus incomparabilis) Boufflerium pervicaci victum obsidione excepit perhonorifice, ferox Alexander, & bestialitate tumens Homerica, & Achillea trajecto loro per pedes raptavit per castra Poliphemico ritu Græco. Homerus fuit Megæra & Erynnis Alexandri; & versiculi Homerici veluti angues, & crines viperei, & funereæ faces in Alexandrum conjectæ, quibus inflammatus:

> Arma amens fremit, arma toro, tectisque requirit:
> Sævit amor ferri, & scelerata insania belli:
> Ira super: magno veluti cum flamma sonore
> Virgea suggeritur costis undantis aheni.
> Exsultantque æstu latices: furit intus aquæ vis.

XXXIX. Virgilio equidem nostro parcere cuperemus, qui si Homerum sublimitate, robore, energia, divite vena, Archetypa inventione & impetu non adæquat, superat plane judicio, rerum cognitione & scientia, con-

---

> Replica a lui Goffredo: il Ciel non diemme
> Animo tal che di tesor s'invoglie,
> Ciò che ti vien dall' indiche maremme
> Abbiti pure; e ciò che Persia accoglie
> Che della vita altrui prezzo non cerco:
> Guerreggio in Asia; e non vi cambio o merco.

Si sub torculari Homerus, Virgiliusque magni inter Paganos Philosophi, & Poetæ ponantur nihil adeo plenum succo, honestate, sublimitate, suavitate ab illa exprimas. Fortasse Homerus, Virgiliusque, & Encomiastes Stagirita his auditis Berganteni Vatis vocibus tam magnificis, honestis, magnanimis, penetrantibus, quæ animam vere rapiunt, & elevant, & sincero implent melle virtutis, defixis se oculis intuerentur; caput scalperent; & si renovari Poeticum judicium liceret ordinem sedendi immutari posse pertimescerent, caninosq Heroes suos fuste expellerent. Optandum a tot viris impense literatis, & doctis, qui Romam, & Italiam implent novam Tassiani Poematis editionem adornari, in qua pueriles, & Antichristianæ ineptiæ omnes eroticæ, & perniciosæ affatim, & inexorabiliter eradantur, ut Antonianus sapienter Tassio scripserat; & notis Christianis, & Poeticis, & Criticis virtutes, & maculæ Principis italicæ poesis illustrentur, corrigantur, aut explicentur ut sine periculo in Christianorum adolescentium manus possit tandem reponi. Eccur in editionibus Paganorum præter fœditates sublatas tantasq. notas eruditas non apponuntur etiam adnotationes plenæ sapientia Christiana ad corrigendam crebram stultitiam Horatii, Virgilii Ciceronis &c. Si Quintilianus nutrices ipsas puerorum Sapientes optabat quanto magis eloquentiæ magistros stultitia carentes pueris opus est tradere facile omnia combibentibus?

constanti elegantia, concinna fabulæ solutione, partium nexu & aptitudine, absolutissimo imaginum nitore, perfectione artis & industriæ. Sed Augustinus Virgilio non pepercit, nec parcere potuit. Dii quidem Virgiliani urbanitatem didicerunt tandem Homerica feritate & fæditate deposita. Sed ut primis lineolis Homerus blasphemat, ita & Virgilius Homerizans ab horrendis fere incipit blasphemiis. Vitiis onerati sunt Dii etiam Virgiliani, & ad delicta alliciunt homines, ut notat Aug. post Justinum M. Quam turpis & horrenda Theologia pagana, cujus breviarium in Æneide invenimus! Quam scelerati & crudeles heroes Paganorum. Perfidus Æneas (1) post contaminata horribiliter hospitii jura, & Didonis famam durissimo responso infamem animam prodit. Æneas ad mortuos honorandos vivos tundi, excoriari, & sanguine perfundi imperat; pacifice & devote piacularibus cæstibus armat Athletas, & ferreos pugnos videt, & plaudit Pater optimus ollis, dum pectore vastos:

> Dant sonitus, erratque aures, & tempora circum
> Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malæ.
> Nec mora nec requies; quam multa grandine nimbi
> Culminibus crepitant sic densis ictibus heros
> Creber utraque manu pulsat, versatque Dareta. (2)

Dura Trojæ præcordia non commoventur, & tarda non expergiscitur pietas Æneæ, nisi cum miserum Daretam videt

> . . . . genua ægra trahentem,
> Jactantemque utroque caput; crassumque cruorem
> Ore rejectantem, mistosque in Sanguine dentes.

Quid horribilius Diabolica pietate fætidi Æneæ, qui ad funus Pallantis captivos octo jugulandos tradit Evandro, quos mitteret umbris

> Inferias cæso sparsuros sanguine flammas?

In cane rabido, aut lupo super accumbente, & laniante dentibus viscera animantis devicti tantus furor nunquam est visus, quantus in vilissimo Ænea, qui in hostes ad genua procumbentes immaniter desævit, omnemque sensum pietatis, generositatis, & commiserationis in spectatoribus tentat extinguere: Tum

---

(1) Nobilis scriptor acute, & vere hæc notavit: Il faut en convenir. Le Prince Troyen dans Virgile est un amant perfide, un prince foible, un superstitieux. Et ce beau 4. livre de l'eneide dont on sera toujours enchanté tant qu' il restera quelque etincelle de goût, et de sentiment parmi les hommes est defigurè par les faux sermens du Héros, par sa fuite honteuse et furtive. On plaint la Malheureuse Reine de Carthage; et l'on est indignè contre le fils de Anchise en le voyant abbandonner et trahir si lâchement une Princesse si tendre si sincère et qui ne s'etoit livrèe a sa passion que dans l'esperance d'un hymen prochain.

(2) Aenejos tamen ludos fæditate, & crudelitate superant Achillei, & Homerici. Nam post fractos per lusum dentes, & maxillas Græcas Epei, & Euryali Græcorum Principes Ajax & Ulysses lucta contendunt, & arietant, seque urgent pugnis, ictibus, calcibus, & in terram prosternunt, implentque ora fimo, majestate græca, & antiqua simplicitate ut caldarium lucrentur; Iterumque Salaminius Heros currens stercore bovino impletus est os, naresque. Sed canis Achillis, & Homeri indoles in hastæ ludo se prodit. Coronari enim volunt eum qui primus acuto ferro *attigerit intestina per arma, & nigrum sanguinem*. Fortasse Gladiatorios ludos crudelissimos pepererunt, vel auxerunt ludi Achillei inexplicabili humani generis calamitate.

Tum caput orantis nequidquam, & multa parantis
Dicere, deturbat terræ; truncumque repente
Provolvens super hæc inimico pectore fatur:
Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum
Unda feret, piscesque impasti vulnera lambent. (1)

Scatet & ebullit integrum Æneidis volumen erroribus, & pravissimis principiis; sed torrentes stoliditatum effundit docta ignorantia Anchisis Platonizantis apud Elysios. Si quis hæc & similia in Poetis laudaret quia dicta congruenter ad regulas poeticas, & principia Gentilium: ille plane Catilinæ orationem ad Coniuratos commendare vehementer posset, & ut sapientiæ exemplar adolescentibus proponere.

XL. Sed Philosophi meliora fortasse Poetis protulerint ad generis humani ignorantiam dispellendam. Negat Justinus M. inquiens: *rejectis Poetis, quos tandem magistros habere videmini? Sapientes & Philosophos dicetis .... eorum opinio multo sane Poetarum Theologorum magis ridicula*. Chrysostomus triobolarem Philosophiam Græcorum vocat, & Julianus Imp. testatur Christianis persuasum Græcam Philosophiam a Diabolo fuisse. Sufficiat hoc loco de Platone Philosophorum Deo pauca dicere. Si bonum Platonis ingenium, judicium certe exiguum fuit; (2) imaginationis autem vis, & impetus effrænis, quo in prærupta quovis passu abripitur, imo & ad ridicula delabitur Xenophonte teste. Innumera sunt certe in Platone puerilia & sophistica; Theopompus multos Platonis Dialogos Supervacuos, inutiles, & falsos recte asserit, plures plagio surreptos. Recte etiam Athenæus sapientia vacuos & turpitudine plenos arguit inquiens: *quæ sapientiam testantur si in Platonis sermonibus investigemus, nusquam invenientur, sed valde inhonestæ, & indecoræ narrationes de amore &c.* Platonica Philosophia tota fanatica, cerebrosa, ambagiosa, superstitiosa, & fere magica; inter anfractus, & somnia, & larvas ambulans. Nugas suas & deliria agnovisse videtur Plato cum Sceptica hæsitatione veri nihil certo sciri posse docuit; & nebulis densissimis, & caligine se contexit data opera ne intelligeretur. (3)

XLI.

---

(1) Quam bene in Cannibalem Æneam Tancredi generosi bellatoris quadrat exprobratio in Argantem prolata? Anima vile
Che ancor nelle vittorie infame sei
Qual titolo di laude alto, e gentile
Da' modi attendi si scortesi, e rei?
Fra i ladroni d'Arabia, o fra simile
Barbara turba avvezzo esser tu dei?
Fuggi la luce, e va con l'altre belve
A incrudelir ne' monti, e tra le selve.

(2) Recte id notatum Brukero qui T. 1. Pag. 648. inquit. „ in Platone judicii defectum passim regnare, & superstitionem, & fanaticismum, qui characteres ut mediocre judicium produnt ita divinitati ingenii contradicunt, & ex albo maximorum Philosophorum Platonem delent. „

(3) Cicero inter nubes incensi quibus Platonem involvit furtivas quandoq. Alapas impingit Platoni, statim manum retrahens. De perfecta nugacitate, & ineptia Platonismi hæc habet Ac.1. acute, & vere: „ Plato in cujus libris nihil affirmatur, & in utramq. partem multa disseruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur. Et primo de nat. deorum: Jam de Platonis inconstantia longum est dicere ,,, in Timæo dicit, & in legibus, & mundum Deum esse, & cælum &c. „

XLI. Novi quidem systematis condendi cupidus Plato cum e proprio penore proferre nil posset Socratica, Eristica, Pythagorica, Heraclitica, Parmenidea compegit musivo opere; seu chaos informe, & procellosum struxit, cujus una pars aliam collidit, & frangit. Hinc Platonis contradictiones sæpe notarunt Patres, & speciatim Justinus, Cyrillus, Theodoretus, Eusebius, Chrysostomus, & Augustinus. Hinc Aristoteles *uno halitu cerebrinam Platonis Philosophiam difflat*, ut Brukerus loquitur, & Platonica Academia statim sus-deque versa a discipulis Platonis. Quam ridicula & absurda habet Plato de æternitate materiæ, de ejus malignitate, quæ a Creatore superari penitus non potuit, de origine mali, de animarum præexistentia, de polytheismo, & idololatria in Timæo & Epinomide? (1) Quam turpiter autem fædat, teste Justino M. veritates ipsas in quas incurrit potius, quam invenit? In famoso Phædone, ubi de immortalitate loquentem Antiquitas mirabunda Platonem audiebat, quanta futilia & falsa? De fato ita sæpe loquitur volubilis Plato, ut libertas omnis sublata videatur Mosshemio. Manichæismus etiam in Platone apparet, ut recte observatum Bossueto. Mundum magnum animal esse docet, a cujus anima per totum diffusa animulae animantium quasi frustula decisa decerpuntur. Metempsychosim autem, quam recte Hermias dicit esse simul delirium, imposturam, dementiam, & furorem, & Lactantius, & Minucius Felix mimo dignam & scurra Attico statuit millies in Phædone, Phædro, Legibus, Timæo. Mimicum est plane animis temulentorum in vasta jumentorum corpora transitum dare; Philosophis autem, qui politicam vitam, & virtutem coluerunt, domicilia figere in vespis, apibus, & formicis. Quam angustum diversorium! Quam miserum imperium pro vastis animabus politicis, quibus vix sufficiunt quatuor partes Orbis Terræ? Mimicum est fabulari in animis post decem annorum millia pennas, & alas enasci, atque ita has animas volatiles quasi chrysalides erumpentes ad Sydera ascendere, ibi ideis pasci, & ea manducare, quæ stellæ manducant donec in corpora relabantur. Qui divinitatem Platonis viderunt inter eos qui viderunt Deos boves, deas coepas, deas cucurbitas, & allia sunt annumerandi.

XLII. Sed quam maxime deplorandum Platonem corrupisse, & fæce Platonica inquinasse omnem moralem. Moralis Platonis inepta & absurda ut ait Brukerus. Plato fædissimi & crudelissimi cordis homo sæpe habet tyrannica digna Phalaride & Busiride; Sæpe Epicureum stabulum totus olet, & Theodoreti obturamento opus est. Pauperes ex foro, ex urbe, ex agro, ex tota Rep. ejici jubet immanis Cyclops. Infantes abortu, vel fame necandos statuit si matres quadragesimum patres quinquagesimum sextum annum expleverint. In servos vero omnia statuit immania

(1) Quanta habet Plato de divinatione, de somniis, de avibus, de visceribus, & dæmonio delphico? In Timæo docet hepar ad solam divinationem inservire in eoque imprimi imagines rerum tamquam in speculo. En Platonis acumine inventam magicam lanternam, sive cameram Opticam futurorum. Hinc inter Platonicos tot Magi, Astrologi. Necromantes, visionarii, ût notat Ludovicus Vives. Apostata Julianus Imperator Platonicus homines jugulabat, ut in eorum visceribus futurorum Ephemerides inveniret.

nia (Eusebius Præpar. 13.) Servus quot uvæ acinos ; ficusve sustulerit, totidem plagas accipito; qui servum suum occiderit, absolvitor ; Servus ; qui liberum vim vi repellens occiderit, parricidii reus esto. Oh carnificem Legislatorem doctum Platona!

XLIII. Sed Platonis immanis turpitudo fæculentior longe est turpitudine Neronis, & Sardanapali, ut Theodoretus loquitur. Criminibus nefandissimis immortalitatem præmii loco promittit; ut non solum Theod. *Ther.* 9. & Patres passim, sed Pagani ipsi testantur & præ ceteris Plutarchus. Quoniam Gymnastica juvenis exercuerat Plato, & noverat pugnis tundere latera hominum vult ab omnibus, & sine vestibus Gymnastica ad purgandam animam exerceri, etiam a mulieribus: nam, inquit, virtutem pro vestibus induent: En hominem Balaami magistra ad multos annos indigentem. (1) Horribile autem paradoxon conjugiorum, quod Helvetius, ne consenesceret, ad honorandam Philosophiam renovavit, furiatam Platonis mentem explicat, & immedicabilem Platoniaei cordis gangrænam.

XLIV. Ex his jam liquet operam perdere eos ex nuperis, qui seram contexunt apologiam moribus sceleratissimi Platonis. Plato invidus, malignus, ambitiosus, fraudulentus, crapulæ amator, seditionum, & rebellionum auctor. Fædissimos amores ei objectos Laertius notat. Ejus versiculi & epigrammata (de quibus Apulejus Platonicus non dubitat) & convivia, & leges, quas Mahumeti, & Alcorani legibus deteriores longe putabat doctus Græcus homo Georgius Trapezuntius, turpissimum ostendunt Platonis animum. (2) Philo homo Platonicissimus Symposia Plato-

D nica

(1) Stuporem, & indignationem pariunt tum alia multa, tum illa Filangerii verba quibus vestium projectionem laudat, eaque Lycurgum crimina multa impediisse falsissime somniat; Deus ipse manibus suis tunicas pelliceas dignatus est consuere, & homines vestire, & Philosophi Cynici eas dilacerant nosque Tibarenis, Gelonibus, Mossinæcis, Othaitis exæquare satagunt. Adeo sollicitus est Plato in verecundiæ legibus omnibus eradicandis, ut rectissime Chrysostomus Platonem appellet *lenonem deterrimum*. Cujus leges aliquas enarrans populo Antiocheno pro concione fremitus statim in Ecclesia & horror, & execratio populi exorta est in deliria tam nefanda Philosophiæ.

(2) Hegesander Delphus Platonem erga omnes malevolum, & improbum integro libro descripserat, & dolosum fraudulentum, & simulatorem, & moribus & ingenio pravum. Odia, & simultates exercuit Plato in Socratis discipulos ut novercæ in privignos. Præter morum ex ingenii pravitatem invidus & cupidior gloriæ. *Athen.* studet subvertere antiquos Philosophos, & eorum verba corrumpit ut Brukerus fatetur. Nidore Coquinæ Dyonisiacæ captus usque in Siciliam cucurrit; sed ob inexplebilem voracissimi ventris ingluviem ejicitur, & venditur ut captivus ex Laertio, Porphyrio, Zenophonte, Tatiano, Chrysostomo, Cyrillo, Theodoreto *Therap.* 12. Liguritionem siculam Platonis sæpissime ridet Nazian. In Thracia, & in Sicilia seditiones, & conjurationes excitavit Plato. Platonici autem calumniatores, inhumani, scelerati, seditiosi, & Tyranni ut Euphratus, Callippus, Evagon, Timaeus Cyzicenus, & Chæron ex *Athen.* Nos equidem Platonicos semper cogitabundos rugosa fronte, & supercilio puris ideis vesci solitos terrena dedignantes putamus. At vero Ephippus in *Naufrago* Platoninos exhibet volitantes per fora, gestantesque capillos vibratos calido ferro myrrhaque madentes, calceolis nitidis, vestibusque ad ultimum morem compositis, & plicatis, & comptiores amasio quovis dissoluto. Platonici persecutores & hostes acerbissimi Christianorum fuerunt, ut Porphyrius, Damascius, Jamblicus, Sopater, Ædesius,

nica damnat ut execranda, monstra appellat Scaliger, & Vossius Platonis laudator exhorret, & Dacierius Platonomaniæ exemplar ab iis horroribus vertendis abstinuit prudenter. Damnant Dicœarchus, Cicero, Athenæus aliique Pagani. Hinc ad fœditatem & impietatem Platonicam contegendam nec allegorica emplastra sufficiunt, (vid. not. 1. pag. 19.) nec mysteriosum illud quasi ex Tripode oraculum Filangerii: « Plato non intelligitur „ : vel Encyclopedistæ Jaucourtii : „ convivium reprehenditur quia ejus scopus non intelligitur. „ Cujus nefandi hominis portenta, & monstra hac methodo non vindicentur? Hanc responsionem pueris dignam esse docet Chrysostomus, quoniam nulla subtilitate opus est ad intelligenda paradoxa Platonis tam palmaria & immensa. Nam Plato quidem nullibi clarior quam cum nefanda & turpia flammato corde eructat principia, fundoque exæstuat imo.

XLV. Homines litterati sæc. XVIII. Platonem non valent intelligere ut poterat Aristoteles ad aures Platonis annis viginti, Lucianus Philosophus, Strabo, aliique innumeri ex Græcis: ut poterant antiqui, exercitatissimi, & ingeniosissimi Græcorum Justinus M. Theophilus Antioch., Chrysostomus, Theodoretus, Cyrillus Alex., & Lactantius nobilis eloquentiæ Professor apud Græcos qui Platonicas infamias execrantur. Platonem *puerum ridiculum* appellat Chrysostomus, ejusque leges Diabolicas. (1) Clarius loquitur quam Trapezuntius ab aliquo ex nuperis reprehensus. Dogmata Platonis, addit, stultitia superant quidquid delirantes & insensati effutire potuerunt unquam. Magna & hic claritas. Lactantius plusquam belluinas esse Platonicas leges ostendit. Theodoretus *Ther.* 9. sceleratissimum, & tyrannicum Platonis animum prolatis Platonis verbis digito monstrat aitque: neque Neronem ex Imperatoribus nefandissimum, nec Sardanapulum luxuriæ monstrum progressos eo fuisse, quo Plato stultissimis, crudelissimis, & nefandis legibus progreditur, quæ ignem carnificis merentur (2) XLVI.

---

sius, Maximus, Chrysantus, Sævus Hierocles, & Julianus Apostata; de Platonicis Junioribus ait Bruker: *In id conjuravere pessimi homines, ut quam veritate vincere non possent religionem Christianam, fraude impedirent.*

(1) Ab Archidiabolis ferocioribus afflatum doctum Platona testatur Chrysost. hom. 1. in Mat. inquiens: „ Plato ridiculam instituit rempublicam . . . Ex re ipsa conspicuum fit malignum Spiritum, dæmonemque quempiam ferum naturæ nostræ hostem, honestatis adversarium omnia sus deque vertentem hæc illorum animis inseruisse. Cum enim uxores comunes faciant &c. quod hæc omnia sint dæmonum inventa, & naturæ repugnantia ipsa certe natura testificatur, quæ talia audire non patitur. „

(2) Judicium placet hic addere duorum Florentinorum doctrina præstantium Petracæ nimirum, & Nisieli, sive Benedicti Fioretti. Petrarca Græcarum latinarumq. litterarum instaurator benemeritissimus & ab universa Europa colendus dialogo 69. de grat. am. agnoscit Platonem insanire, & animi indomiti, & turpissimi impetu raptum impudentissime se in cæno Epicureo volutare: „ Plato de amoribus suis etiam turpibus multa licentius scripsit, neque judicium posteritatis erubuit; curam hanc metumque omnem vincentem impetu passionis animum urgentis, stylique dulcedine calamum excitantis quæ vel in turpi, pudendaque materia tanta illi est, ut Epicureis magis, quam Platonicis in rebus quasi solis in luto Platonici radios cernas ingenii: Ad reprehensionem insaniæ talis aliqua diximus . . . . loquendo, canendoque amor alitur, accenditurque, non extinguitur, nec lenitur, ut quos memoras cantus, & carmina tuorum,

non

XLVI. En quam lucem emittere potuit hic Sol, hic Princeps Philosophorum ad hominum ignorantiam fugandam. Imo vero etiam in luce constitutos excæcavit tenebrosus hic, & impius Legislator. Exemplum habemus deplorabile in Marsilio Ficino homine cæteroquin acuto & Sobrio; Qui tamen veluti Circæo poculo dementatus in *Præfationibus suis in Platonem vere delirat*, ut ait Bruker. Quis eruditorum tam forti sit stomacho, ut integrum legere breve ejus opusculum possit *de vita cælitus comparanda* ineptiis, fædisque erroribus contextum ex integro? Quis non horreat in Præfatione promittentem Democrito, & Apollonio Thyanæo vitam æternam apud Deum? cum alter Epicureorum Parens fuerit, libertatis, & providentiæ negator; Alter Magus, Idololatra, Sycophanta, Antichristus. Quis ferat suggerentem ut in Ecclesiis Platonica legatur Philosophia? Quam perhorresceret ad hanc blasphemiam Augustinus, qui *Platonico nomine ora crepantia* damnavit? Nonne Baal, Moloch, & Astaroth, & abominationem in Templo positam flerent Patres omnes in lacrimas effusi? Sed Platonica pestis teterrima late serpsit elapsis sæculis, maximoque fidei & sanctitatis detrimento infecit Italos, aliasque Nationes. (1)

---

non fomenta, sed irritamenta sint vulnerum! Nisielus autem postquam Ariosti cantus ut spurcissimos, nefandos, & iniquissimos damnavit de Platone loquens inquit: „ Nel „ Fedro si viene a discorso tale, che Socrate vergognandosi d' esser tanto svergognato in sì perversa materia nasconde il capo sotto il mantello, dovendo piuttosto serrarsi in un sacco, e gettarsi in mare (*bene inteso eh? col suo glossatore, e miniatore Platone*) Notate quanti errori. Platone introduce sì atroci malvagità essendo Filosofo. Uno. In soggetti Filosofici. Due. Nella persona di un suo Maestro. Tre. Anzi di un Filosofo in moralità singolarissimo. Quattro.... Qui non occorrono involture apologetiche in favor di Socrate. Per tutti li scritti di Platone mi par che „ la natura di questo Filosofo si rappresenti senza maschera in scena qual ella è „.

(1) Risum meretur Gravina de Italis supp. Sæc. ita loquens: „ bevevano in larga copia del Platonico nettare, il quale alimentando la dottrina dell' immortalità dell' „ anima rende immortali anche le opere, e i pensieri di chi se ne pasce „. Oh utinam Itali superiorum sæculorum abstemii a Platone fuissent, nec labra admovissent fatali loto, & cicutæ Platonicæ? Non tantos doluisset ecclesia pereuntes, nec tantos lotophagos. Veneno certe Platonico mente nonnihil motus Gravina de amore & cantiunculis eroticis Petrarcæ hæc habet: „ Delineò e trasse fuori quel che nel fondo del suo animo nasceva, e che nascer solamente suole nell' animo de' saggi dove siccome tutti gl' altri affetti così questa passion d' amore si va purificando, e riducendo a virtù „. Hæc inter Platonica deliria exquisitiora sunt recensenda (ipso Judice Petrarca qui cantus suos ut pueriles & noxios damnat, (not. 4.) & sublimitatem sapiunt Platonici Stabuli Omitti non debet eximius Italicæ literaturæ illustrator Tiraboschius, qui dolenter fatetur nostros fuisse a Platone manuductos ad stultitiam inclusive: „ I Platonici Italiani „ del Sec. XV. hanno rinnovate le opinioni degl' antichi Platonici, che per lo più non „ sono che sogni, e puerili superstizioni a cui molti degli accademici nostri si abbandonarono.... Platone era in certo modo il loro idolo, l' unico oggetto dei lor pensieri, dei loro ragionamenti, delle loro fatiche, e il loro trasporto per esso giunse „ a tal segno, che gli condusse fino a scriver pazzie, che non si posson leggere senza risa. Impiegati nelle misteriose follie di Platone &c. Colophonem addat cl. Baltus: Che bisogno habbiamo noi Cristiani di legger Platone per far acquisto delle „ virtù? Che mi si mostri un sol Cristiano che sia divenuto più modesto, più temperante, più giusto per la Lettura di Platone. Io per me ne produrrò molti, che „ sono diventati più vani, più orgogliosi, più libertini, più licenziosi, e che vi hanno perduta disgraziatamente la Fede, e la Religione „.

XLVII. Fæces quidem Platonicæ irrumpere non potuerunt in Sanctam Civitatem Dei ; sed late inquinarunt externa pomæria . Nam ut recte observat Petavius : Conditores hæresum , ac mangones ad corrumpendam fidei sinceritatem Platonica potissimum inventa miscuerunt ; omnesque hæreses primis tribus Sæculis ex commentis Platonis exortæ sunt : ex coque fabricata sunt monstra illa & dedecora Christiani nominis , quæ cum legimus ingenti horrore percellimur . „ Jure Tertullianus : *Doleo Platonem omnium Hæreticorum condimentarium* . Si quas laudes Platoni Augustinus dedit , eas abolevit , delevitque Retrac. I. inquiens : „ laus quoque ipsa , qua Platonem sive Academicos tantum extuli quantum impios homines non oportuit , non immerito mihi displicuit , præsertim contra quorum errores magnos defendenda est Christiana doctrina . „ Et Serm. 143. de Temp. „ Abiiciamus hæc ; & vel rideamus quia falsa sunt ; vel doleamus , quia magna existimantur ; sunt enim ista , fratres mei magna magnorum deliramenta Doctorum . „ Recte Sanctus Plato Martyr Ancyr. inter tormenta Sanguinem fundens pro illa veritate , cujus apostata „ & proditor fuit , & infamissime prodendam docuit Atheniensis Plato Socraticus , Præsidi respondit : „ Platonis illius Sacrilegi , cujus tu mentionem fecisti , nihil habeo nisi nomen tantummodo , non fabulosam , & erraticam Sapientiam , in qua ille confidens alios decipiebat . Bolland. 20. Jul.

XLVIII. Sed cæteri etiam Paganorum doctores sive Poetæ , sive Philosophi nullum medicamentum attulere hominum ignorantiæ . Nam perpetuis contradictionibus , scepticismo , vel Panteismo , vel Polytheismo , & Idololatria , & corruptissimis præceptis morum omnia inquinarunt , hominumque ignorantiam auxerunt potius , quam sustulerunt . Infelix ipse Tullius tam acutus , tam studiosus , & perspicax post devorata omnia antiquæ sapientiæ volumina , quid aliud quam scepticismum , & fere Atheismum redolet in lib. de nat. Deor. , & Tusculanis , quas *cursum completum irreligionis* vocat Volterius ? Nonne exclamat in Acad. *cogimur dissensione Sapientium Dominum nostrum ignorare* ? Recte ergo Bossuetus : „ „ che hanno guadagnato i Filosofi co' lor pomposi discorsi , col loro stile sublime , co' lor ragionamenti ordinati con tanto artifizio ? Con ragione S. Paolo esclamò ? *Dove sono i Savii ? Dove sono i Dottori ?* „ che hanno operato coloro , che ricercavano le scienze di questo Secolo ? Hanno potuto solamente distruggere le favole dell' Idolatria? „ Hanno rovesciato un sol altare sul qual erano adorate le mostruose „ Divinità ? A che dunque hai servito o Filosofia ? Iddio non ha egli „ *convinto di follia la sapienza di questo Mondo* , come dice S. Paolo ? „ Non ha egli distrutto la Sapienza de' Savii , e mostrata l' inutilità della „ scienza de' Letterati „ ?

XLIX. Nec antiqua felicior est Philosophia recentior inimica quidem revelationis . Si Idololatrica excipias ; in codicibus novorum Sophistarum deliramenta veterum ad verbum transcripta invenies , addita quandoque nova paradoxa , & monstra . Philosophiam recentiorum replevisse Europam Fatalistis , Materialistis , Scepticis , Gnosticis , aliisque pestibus , omnemque legem naturalem fœdasse res est , quam non accepimus , hausimus , legimus , sed oculis videmus , & tangimus , & experimur . Quæ

habet

habet pulchra Philosophia recens corniculæ instar expilavit ; & rapuit ab Evangelio, quod obruere postea tentat.

L. Fatebimur tamen hoc loco in veterum scriptis inveniri identidem principia veritatum essentialium Religionis, & moralis. Habentur recta quandoque de Divinitate, & providentia, de animi natura, de altera vita; de nonnullis officiis erga alios, de aliquibus regulis honestatis. Nos hæc cum gaudio expiscamur quasi gazas e magno naufragio ereptas. Pythagoras speciatim, cujus schola antiquæ decus est Italiæ, illustria docuit. (1) Græci, qui primos Rhetoricæ artis præceptores ab Italia habuerunt etiam scientiarum plura obtinuerunt semina. Plato ipse Italicas divitias a Pythagoricis surripuit; nec non a Birsone, ab Epicharmo, ab Archita Tarentino, ab Eleatensibus Italis, a Mimis Sophronis Syracusani, a Philolai libris, Echecratis, Timæi, Acrionis. Veritates Pythagoricas nemo profundius introspexit Card. Gerdilio. Patres veteres sanis Philosophorum principiis usi sunt feliciter ad revincendos Paganos; iis uti & nos possumus contra Incredulos. Ex Zoroastro, & ex Alcorano ipso possunt sæpe refelli Diderotus, Volterius, & Helvetius. Usque adeo in profundum cæcitatis, & dementiæ lapsi sunt ut ramenta sensus illius communis amiserint, quæ remanserunt in Magis, Archimagis, & Musulmanis. (2)

LI. Sed nihilominus inutiles prorsus, & perpetuo fuerunt Philosophi ad genus humanum illustrandum, & corrigendum. Eorum volumina dolia sunt Danaidum, & inextricabiles labyrinthi, ut Tatianus loquitur, & expertus est. Quam ex parte tantum aliqua tradunt, vel tradiderunt *veritatem Dei, in injustitia detinent* ut inquit Paulus. Innumeris erroribus tanquam venenato *fermento totam massam corrumpunt*, ut proinde mortem afferant, qui ex officinis Philosophorum panes depromuntur. Hinc terribile illud Christi dictum in eos: *omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones*. Quæ Christi Sententia, & innumeris comprobatur rationibus, & satis longo experimento triginta sæculorum.

LII. Nonnihil probant hæc quæ mussitat verba Alembertus ipse: „ Io „ mi rappresento i Filosofi veri, o pretesi, che voglion fare, o predica- „ te

---

(1) „ Pythagoras juxta aliquos Tuscus erat . . . . (idque speciatim docent Aristoxenus, Aristarchus, & Theopompus *Therap.* 1.) cum ab aliis nationibus alia didicisset a solis Græcis auferre nihil potuit: tanta illi tum penuria sapientiæ laborabant „ Euseb. *præp.* 10. Sed dolendum est Pythagoram somniis, erroribus, deliriis, & imposturis (de quibus facto examine non dubitat Brukerus) pulchras fædasse veritates, quas docuit. Coxa illa aurea, quam se habere dicebat sufficit ad rem, ne cæteras puerilitates, & errores indigitemus quos sæpe refutant Patres Tertull. Chrys. Cyr. Naz.

(2) In Anglia notissima est dementia horum hominum, unde ait Claris. Burk p. 178. Nous ne sommes pas les adeptes de Rousseau, ni les disciples de Voltaire. Helvetius n'a pas fait fortune parmi nous: Des Athèes ne sont pas nos predicateurs, ni des fous nos legislateurs . . . . . . En Angleterre nous n'avons pas encore eté depovillés des nos entrailles naturelles; nous sentons encore audedans de Nous les sentimens de toute morale noble, & virile. Nous n'avons pas encore eté vuidés & recousus pouretre remplis comme les oiseaux d'un musée avec de la paille, avec des chiffons, & avec des mechantes, & Sales hachu res des papiers sur le droit de l'homme.

„ re qualche riforma come postati sulla spiaggia d' un fiume rapidissimo ,
„ che si risolvono di trapassare . Radunano il lor secolo sulla sponda
„ del fiume ; arringano , e l' esortano ad imitargli . Si gettano in se-
„ guito nel fiume credendo , che il lor secolo gli siegua . Ma rivoltan-
„ dosi vedono il lor secolo ancor dall' altra sponda , che gli riguarda ,
„ che gli burla , e se ne torna addietro „ . Si felicem philosophorum trajectionem excipias vera sunt hæc ; probantque philosophiam , & inutilem , & multitudini *suspectam , & invisam* ; ut ajebat Tullius , qui tamen non intellexit hujus phænomeni rationes multas , & graves , (quas vide apud Patres , & speciatim Lactantium lib. 3. Justinum , Augustinum , Tertullianum , Nazianzenum , Theodoretum , Eusebium .)

LIII. Sed si nulla ex hominibus expectari unquam potuit medicina fatalis ignorantiæ in rebus gravioribus , *& unice necessariis* : saluberrimam hanc , & optatissimam , & cælestem medicinam Christus Iesus Sol Justitiæ , & lux mundi attulit hominibus . Humanæ cæcitatis opportunissimum in primis remedium in balneis , & piscina Evangelica præparavit Christus , in qua sunt aquæ vitales salientes in vitam æternam .

LIV. In Evangelica Christi lege omnia splendent luce infinita . Dum tentabunda , & tenebrosa Philosophia de Deo , & de homine tam male sentit , & loquitur in Evangelio oculos aperit Christus simplicioribus , ut Dei majestatem , omnipotentiam , æternitatem , sanctitatem , sapientiam , providentiam , bonitatem , misericordiam infinitam , clarissime , et vividissime percipiant . Hominis pariter naturam , originem , officia , futurum statum , finem , sensus , desideria , affectus varios , & pugnantes , & a primitivo statu lapsum infelicem ponit ob oculos torrentes lucis effundens . In amore inseparabili Dei , & proximi legem omnem concludit sententia divino pectore , & ore vere dignissima . Solus sermo Christi in monte flumen est aureum , exundans , & immensum veritatum sublimium , & divitiarum illius qui est ipsa sapientia Dei . Pleno ore profluit veritas a Jesu Christo sine labore , sine mensura , sine artificio ut plane pateat Christum esse ipsam Veritatem , qui tam immensa , tam sublimia , tam nova , inaudita , tam perfecta , & vera sine conatu , & impetu , sed blande , & sponte fluentia ex vena emittit inexhauribili .

LV. Hoc loco obiter adolescentes monemus ne in libris scripturarum tumidam Paganorum eloquentiam expectent , aut requirant . Hanc nimis avide gustatam sibi valde nocuisse fatetur Augustinus 3. Conf. 5. , & Hieronymus jejunia licet , vigilias , & fletus non omitteret ep. 22. ad Eust. & Lactantius in pluribus fidem concussisse , & labefecisse vidit . Barbarismis , & Solœcismis obsitæ sunt res vestræ ajebant turgidi Pagani apud Arnobium . Julianus Apostata Græcam grandiloquentiam , sive flatulentiam hauriens captivis auribus Evangelii simplicitatem contemnebat , cum eoque Paganorum turba . Sed ipsi Christiani avidi elegantiarum collectores quam sæpe scripturarum fastidierunt simplicitatem ? Petrarca ipse a contemptu sacrarum litterarum sanari debuit a libris confessionum Augustini . Sed ab litterarum instauratione quantos medullitus infecit pestis adhærens eloquentiæ Paganicæ ? Recte Bernardus Lamy : „ Quei , che dopo
„ la lettura dei Romanzi prendono in mano i libri Santi , entrano in que-

„ sta

„ sta lettura come in una terra straniera, che è tutta spaventevole per
„ essi, che sembra loro tutta spinosa, ove risplende un Sole, il cui lu-
„ me gl'incommoda: e perchè sono avvezzati all'eloquenza de' Poeti bel-
„ lettati, e pieni di affettazione, lo stile semplice, e naturale della
„ Scrittura, benchè tutto forza, e tutto maestà, non compugne un cuo-
„ re, il quale mai non si è nodrito, che d'inezie. (Optamus a singulis
adolescentibus Reflex. Nov. in Art. Poet. ejusdem Lamy attente legij (1)
Sa-

---

LXXXI. Sed Quiritium stupendam ferociam, et, ut loquitur Augustinus, insaniam, pestem, scelera, furias crudeles, & funestas, cruentam, & immanissimam voluptatem soli ludi gladiatorii ostendunt; qui exquiri, & spectari non poterant nisi anima & corde Antropophago, ut loquitur Tatianus; oculis parricidis, ut Cyprianus; mente homicida, ut Theophilus Antiochenus, Fœdato obtutu, ut Amphilochius; dæmoniaca voluptate, ut Theodoretus; iisque plaudi & laudes dari non poterant, nisi lingua, & manibus Diabolo consecratis, ut loquitur Tertullianus. Blandimenti, Religionis, & muneris loco habebant Quirites vulnera, plagas, trucidationes, hominesque in proprio sanguine natantes. Ad spectacula tam dira, quæ ducenta, vel tercenta hominum millia in Europa absumpsisse quotannis suspicatur Lipsius, convolabant avidissime. De-

---

ationes, & consuetas carnificinas describentem ep. 14. „ Cogita hoc loco carceres, & cruces, & equuleos, & uncum, & adactum per medium hominem qui per os emergat stipitem (*nec Turcicus deerat palus?*) & distracta in diversum actis cruribus membra; illam tunicam alimentis ignium, & illitam, & intextam; quidquid aliud præter hæc commenta sævitia est. Plus agit tortor quo plura instrumenta doloris exposuit „. Si hæc in suos lenitas Quiritium adhibere consueverat quid in Christianos non adhibuit?

(1) Pudore suffundimur ad hæc verba Ciceronis Philosophi crudelissimi, & vere osseæ probitatis: *In gladiatoriis pugnis timidos, & supplices, & ut vivere liceat obsecrantes odisse solemus*. Oh ferrea corda! Populi autem furiales affectus Seneca *de Ira*: gladiatoribus populus irascitur, & injuriam putat si non libenter pereunt; contemni se judicat, & vultu, sensu, ardore de spectatore in adversarium vertitur „. Ejus autem horrendos rugitus exponit ep. 7. *occide, ure, verbera. Quare tam timide incurrit in ferrum? Quare parum audacter occidit? Quare parum libenter moritur?* Voces ne sunt hominum, vel Ursorum? Virgines ipsæ Vestales, quas mites, & suaves esse oportebat Tigrium instar hircanarum ab oculis ardentibus rabiem, & flammas spirabant, dentesque acuebant sanguinis avidos.

Et quoties victor ferrum jugulo ingerit, Illa
Delicias, ait, esse suas, pectusque jacentis
Rumpi virgo modesta jubet. Prud.

Decem hominum millia trucidanda una ludorum continuatione Trajanus Pliniana oratione adeo laudatus populo cædis avido exhibuit. Verba populi gladiatores mortem timentes increpantis vix os decerent *Getuli immane Leonis*. (*not*. 1. *pag*. 44.) Fœminæ ipsæ gladiatrices visæ Amazonica idest Tartara feritate:

> Hos inter fremitus novosque lusus
> Stat sexus rudis insciusque ferri
> Et pugnas capit improbus viriles;
> Credas ad Tanaim, ferumq. Phasim
> Thermodontiacas calere turmas. (Statius.)

Hosce horrores non sustulit nisi Religio Christiana. Telemaci Monachi sanguis a populo occisi, quia gladiatores deducere, & avertere conabatur, benedictionem hanc generi humano impetravit. Miseræ, & crudeles hominum passiones truculentam Catonis insaniam se ipsum interimentis mirantur, & ipsis friget virtus admirabilis, & divina hujus Monachi, qui sanguinem fundit ut multa hominum millia quotannis a gladio, & jugulatione eripiantur (1).

LXXXII. Leges XII. Tabularum quam sæpe crudeles, & felle, & sanguine scriptæ? Immane jus necis, quod ipsa horrent bruta, patres in suos habebant infantes: jura vero in debitores, & in servos, cujus pii hominis recogitantis viscera non torqueant? Quem obortis lacrymis non perfundant! Aurea quæ dicuntur sæcula Reip. quam ferrea fuerint probat Minutius Felix ex historia Romana, & Augustinus ex Sallustio. Religio Christiana cito sublatis ubique hisce aut similibus juribus moribusque homicidis & immanibus vitam centenis hominum millibus quotannis dedit, aut conservavit.

LXXXIII. Absit ut dicamus omnia Infidelium opera fuisse peccata: Imo inveniri asserimus in Antiquis laudabiles interdum, & ex officio bonas, honestasque actiones; quandoque etiam sublimes. Hinc laudat Scriptura humanitatem Barbarorum Melitensium erga Paulum, & alia Infidelium opera, & Augustinus idem facit de Sp. & lit. cap. 27. & 28. A nobis igitur etiam laudanda continentia Scipionis Africani, frugalitas Fabricii, Cimonis liberalitas, morientis lenitas Phocionis, Sobrietas Aristidis, clementia M. Aurelii &c. Sed pauca natant apud Veteres recte facta in gurgite vitiorum vastissimo; & ut inquit Nazianzenus, sunt albæ facies, quæ identidem apparent inter Æthiopes, & guttæ aquæ dulcis in mari salso. Qui veras, lucidas, innumerabiles, absolutissimas virtutes amat

(1) Ad mortem Catonis Uticensis in extasim rapiuntur Cicero, Horatius, Ovidius, Lucanus, Valerius Maximus, Montagnius sæpissime delirus, & paganizans, & Seneca inquiens: „ Catoni gladium assertorem libertatis extorque, magnam partem detraxeris gloriæ. „ Oh fatuos homines! Imbecillitatem Catonis, & infamiam detegit Augustinus de Civ. Dei. Delirium vero, motæque, & desperatæ mentis procellam, & impotentem ferociam ostendit pugnus ille immanis benemerenti servo fideliter, summoque amore ministranti impactus: Fontenellius ipse ridet ad mortem hujus herois, quem omnes plorant scænæ, & scænis devoti: „ Bisogna confessarlo; ecco un pugno, che guasta ben molto una morte filosofica.

amat intueri, nullibi quærere debet nisi in Christi discipulis.

LXXXIV. Audent Encyclopedistæ laudare nobis antiquorum hospitalitatem quasi singularem. At veternm hospitalitas non insignis fuit, sed tenuis, rara, imperfectissima. Antiquornm tempore rari peregrinantes. Errores Ulyssis interminabili Odyssea famosi a Genuensibus, Hispanis, Hollandis,, Anglis pueris quidennibus ut ludus nunc habentur. Suavis, & utilis exceptio apud antiquos carentes epistolico commercio, tum ad notitiam regionum hauriendam, tum ad amicos comparandos, aliasque commoditates. Nulla apud antiquissimos hospitia publica pretio locanda ad quæ eleemosyna collata commodissime nunc hospites indigentes dirigi frequenter possunt. Ritus Græcæ hospitalitatis in præsens vigent apud Sylvestres Tartaros, & Arabes, quorum viæ non fervent curribus, & hospitibus innumeris ut apud nos; vigent apud Circassos, Nagaitas, Insulanos Sylvestres Orientis ut Drake, Kavendisch, D'Arvieux, Hamilton, Cok, & post eum Meures experti sunt: quorum quidem narrationes longe pluris faciendæ sunt, quam Homeri pauperis, & cæci, qui hospitalitatem laudat, qua opus habebat. Dum Eumœus *divinus* custos porcorum Ulyssis frustula suilla distribuit hospitibus, Ulysses Algerino quocumque nequior Urbem Ciconum diripit, vastat, homines occidit, mulieres abducit. En quam magnæ virtutes sub Græca latebant hospitalitate tam laudata!

LXXXV. Sed ut hanc carunculam, in qna tantopere confidunt, eripiamus Philosophis Antichristianis, qui Paganos, & Irreligiosos semper laudant, dum Christianos lacerant (*quia sapientia hujus mundi inimica est Dei*) pauca de hospitalitate Christianorum, & Regularium addamus. Monachi, & Regulares perpetuo hospitalissimi ad nostra usqne tempora. In Thebaide, in Desertis Syriæ inter paupertatis spinas hospitalitas effloruit. Theodoretus testis oculatus (SS. PP. Hist.) scribit Sanctos Monachos „ qui per innumerabiles labores corpus edomuerunt, & delicias jejunium existimarunt, somnum autem suavissimum laboriosas vigilias, molle stragulum dnrum solum, immensam voluptatem in orationibus conversationem: hos inquam homines æneos, & adamantinos, & in se ipsos adeo austeros, qui ad ignem accederent nunquam ut calefierent, qui frustulum panis mucidi vix semel ederent per diem, erga hospites & peregrinos adeo dulces fuisse, *& curæ insatiabilis ut optimus thorus paratus esset hospitibus, egregius autem, & selectus panis, & vinum odoriferum piscesque, & olera, & quæcumque sunt eis conjuncta*. Vood Anglus, & Protestans Hist. Univ. Oxon. ad annum 1536. de bonis monasterii a Rege invasis inquit: „ Lamentatione res digna fuit audire populi, & plebejorum lacrymas; summa enim in his Cœnobiis vigebat hospitalitas; putanturqne ex hac suppressione amplius quam decem millia pauperum omni spe, & re ad victum, vestitumque necessaria excidisse. „ Vide etiam ex Protest. Rapin Thoyras lib. 15. confirmantem pauperum lacrymas ammittentium omnem subsistendi modum. Monasterium Glasconiense, uti cætera Angliæ fere cœnobia usque ad quingentos hospites una simul cum equis excipere solebant Sander. lib. 1.; & aliquibus mendicantium millibus panem distribuebant. Exemplum hospi-

spitalitatis inauditæ porrigunt nostris diebus Can. Reg. S. Bernardi Mentonensis in limine Italiæ. Montem inhabitant prægaltum, & præruptum, altioribus adhuc cinctum montibus, qui planitiem fere radiis Solis imperviam reddunt, & frigidam ad prodigium, adeo ut arbor nulla oriatur, omnisque natura languescens, & emortua appareat. Hoc in loco, a quo proscripsisse genus humanum natura videtur, sedem fixit stupenda hospitalitas Christiana. Monasterium adest quasi nidulus scopulo affixus in tanta supra libellam maris elevatione, ut in integro orbe terraqueo nulla sit, aut fuerit altior hominum habitatio, quæ vix aquilis conveniat. Nives æternæ ad immensam altitudinem, venti furentes, frigora, & sævissimæ tempestates ibi debacchantur. Regulares viri famulos alunt & canes, qui per nives præaltas corpora quærunt extinctorum. Ædiculas habent per viam dispositas, ubi casei, panisque copia viatoribus semper præsto est. Obviam pergunt viatoribus ut frigore correptos, vel errantes excipiant, foveant, & ad monasterium deducant: pannis, igne, balneis, cibo, prolixe reficiunt omnes cujuscumque nationis homines, mulieres, pueros, quos refectos & viatico cibo instructos dato viæ duce redivivos dimittunt. Citius complanaretur mons, quam completus queat index dari antiquæ, & præsentis hospitalitatis Regularium.

LXXXVI. Christiani autem generatim cultores fuerunt eximii hospitalitatis adeo laudatæ a Christo, Paulo, Joanne &c. Lucianus Philosophus testis est Christianos consuevisse ad carceres pernoctare, ubi martyres custodiebantur, cænas afferre *incredibili alacritate* nullique rei parcere. Tesseratione hospitalitatis accepta, ut loquitur Tertullianus, Christianus quilibet peregrinus in universo Orbe domos inveniebat, & amicos. Hospitalitatem novam, immensam, non antea in mundo visam, a Philosophis ne somniatam quidem Christiani introduxerunt, & exercuerunt. Julianus Imp. dolet Christianos esse hospitalissimos in Peregrinos, in pauperes, in Paganos ipsos: & Galatas Flamines suos frustra extimulat præmiis propositis ad imitandam Christianam hospitalitatem, & beneficentiam. Romani Senatores Christiani prodigia ediderunt hospitalitatis. Pammachius immensas divitias effundit in pauperes, in hospites, quos ad Ostia Tiberina ex universa terra confluentes excipit hospitio famoso usque ad Parthos, Ægyptios, & toto divisos orbe Britannos, Paulinum ex Romano Sanguine hospitalitas & liberalitas ex ditissimo pauperem reddidit videntibus, & stupentibus ipso Hieronymo, & Augustino: quamquam hic ipse omnium paganorum hospitalitatem superarit Hippone construens hospitium, & pauperum curam gerens mirabilem. Piniani vero & Melaniæ Romanorum principum effusæ divitiæ in peregrinos, & egentes omnes Romani Imperii imaginationem superant. Torrentes beneficentiæ horum Romanorum, qui immensa, & vere regia patrimonia vendunt ad largitiones, fluunt usque in Ægyptum, Thebaidem, Palæstinam, in Insulas Græcas, in Mesopotamiam, Syriam, Phæniciam, a solis ortu denique ad occasum. En quid Romani Christi discipuli præstiterunt! Post hæc, & alia infinita, quæ possent addi, adhucne quis laridi frustula Ithacensis, aut sepes dirutas Cimonis objiciet Christianis?

LXXXVII. Roma certe Christiana hospitium est Orbis terrarum & ge-

ne-

neris humani, & maculam lavit veterum Quiritium inhospitalium, qui legibus Pennii, & Papii ipsum usum Urbis peregrinis aliquando vetuerunt. (Cic. Off. 3.) Cl. Rollinum autem Græcam hospitalitatem laudantem, ejusque prope interitum lugentem apud nos, fuisse nunquam oportet in Italia, & præsertim Romæ. Quippe in Italia universa, Romæ autem potissimum extantia vidisset immensa, & innumerabilia hospitia pro infirmis, pro scabiosis, pro mulieribus, pro Cathecumenis, pro senibus, pro parientibus, pro puellis, pro sauciis, pro convalescentibus, pro peregrinis, pro Clericis, pro infantibus projectis, pro orphanis, pro dormituris, pro incurabilibus &c. In Ethnica Roma, in Græcia nullum unquam hospitale fuit pro hominibus indigentibus, & infimis. Religio Christiana hospitalibus & Urbem, & Orbem terrarum implevit. Oh teneram hominum matrem! Oh blandissimam generis humani nutriculam Christi legem! (1)

LXXXVIII. In ipsis Italiæ portis ad radices Blanci-Montis omnium, qui in Europa, Asia, & Africa sunt longe altissimi vidisset Rollinus, Catholicos populos, qui observante Cl. Saussure Gebennensi Philosopho (Voyages dans les Alpes 1786.) nostris adhuc diebus *ex usu constanti, sacro, inviolabili, & perpetuo* orphanos omnes, & senes excipiunt, aluntque ad dies nonnullos, quibus transactis ab vicino hæc hospitalitatis officia obtinent hæ creaturæ imbelles, quas proscribendas, aut occidendas Poliphemice jubet Plato; atque ita integram vallem obambulant, completaque periodo, iterum orbitam describere incipiunt perpetuo in quavis domo receptæ. Si hæc in Græcanicis legeremus, conclamaretur undique: Fluxisse in Græcia aurea Sæcula, Astræam in terris versatam, Græcum Sanguinem propaginem Heroum fuisse. Vidit etiam Saussurius ab exundante Arvio oppletos saxis, & arenis campos pauperis agricolæ ab Oppidanis omnibus sponte surgentibus machinis, & jumentis adductis sine pretio expurgari, imo aggere ducto communiri contra novos impetus fluminis. Hujusmodi beneficentiæ exempla in vicis Italiæ pauperioribus non sunt infrequentia. Et adhuc sordida Antiquorum hospitalitas coram Christianis laudabitur! (2)

LXXXIX. Oculis sæpe capti vetera rubigine tecta acute dispicimus, & miramur utrumque exigua; nostra utcumque magna non advertimus. Si vetera placent numismata galeatæ Romæ, & armatæ, quæ tigris instar minas, & sanguinem spirat, longe magis placerent nobis numismata exhibentia præsentem Romam Christianam, quæ blando vultu pueros gerit

(1) Crudelis Montesquius! Qui Philosophico pedantismo hospitalia carpit infinitæ utilitatis ob aliquos irrepentes abusus. Quod institutum adeo Sanctum, quæ res adeo salutaris est, quæ non aliquibus nævis quasi rubigine, & mucore ab hominibus super inducto non aspergatur? Ipsa Ratio esset ableganda quia homines illa non raro abutuntur.

(2) In agro Astensi circa Pollentiam Romanorum coloniam ubi Principibus, & nationibus omnibus ex universa Europa utrinque confluentibus fusus est Alaricus Gothorum Rex ab exercitu Romano viator fere nemo nostris diebus de via interrogat Agricolam quin ei respondeatur: Vis apud nos diversari & buccellam comedere? Id in montanis, & regionibus Italiæ minus tritis consuetum est, & familiare.

rit collo pendentes; dextera cibos & vestes egentibus porrigit, sinistra aperit hospitii portas infirmis, advenis, senibus, &c. desuper clamante Petro: *hæ tibi erunt artes*. (1)

XC. Pagani certe crudelissimi in abjectos, & indigentes. Paulus docet eos fuisse *sine affectione*, & *sine misericordia*; idque Bernardus hominum Suavissimus, & Europæ Universæ utilissimus magna vi inculcat. Stoici usque adeo delirarunt ferrei cordis impetu, ut compassionem inter vitia reponerent. Cicero merito derisus a Lactantio hospitalitatem restringit in ipsis Officiis adeo laudatis ad solos hospites illustres; in laudanda autem beneficentia ut ebrius oscillat, sibiq. contradicit, & modo solis *idoneis hominibus* præstandam docet turpissime, & avarissime. At Christi Lex, & Gratia rivos auri, & argenti in pauperes, in infimos, in contemptos perpetuo fluxu derivavit ad nostra usque tempora. Alexander Saulius nonne una die octingentos nautas profugos hospitio excepit, & commeatu providit? Nonne ejus domus, & Aleriæ, & Papiæ perpetuum fuit hospitium omnium indigentium Diœcesis universæ? Quis immensa auri pondera æstimet, quæ in miseros effuderunt Thomas a Villanova, Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Bracarensis, Carolus Borromæus, aliique infiniti; quorum nomina magna exigunt volumina? Nostris diebus Joachimus Castelli Episcopus Cæphaliditanus nonne reditus omnes amplissimos, vestesque ipsas suas pauperibus largiebatur in durissima, & incomprehensibili ipse vivens egestate? Sola Christi Lex, & Gratia mater est, & refugium, & salus populi indigentis; Sola operatur perpetuo prodigia liberalitatis, & venas aperit indeficientes beneficentiæ, quas Philosophia obstruit, & exsiccat. Vitæ Sanctorum Solæ inscribi possunt: *Annales beneficentiæ*, *historia virtutum*. Sancti Ecclesiæ Catholicæ millies famem, dolores, contemptum, mortem tolerarunt, vel inter arma, & in flammas se conjecerunt, ut fratribus vitam, commoda, refrigerium, salutem afferrent. Quot homines paciferi bella civilia, & sanguinis torrentes propriis periculis ut Benitius, Andreasque Corsinius compescuerunt reddita patriæ serenitate? Cui homini Christiano in quavis orbis plaga degenti notum & dulce non est nomen Francisci Salesii, quod ambrosiam adhuc, & nectar extillat ob inexpugnabilem ejus, & invictam contra omnia discrimina charitatem, ob viscera inaudita benignitatis? Itinera luce candidissima respersa Patris de Las-Casas qui advocatus generis humani pluries antiquum, & novum Orbem peragravit durissimis extantlatis laboribus ut miseris patrocinium, & refrigerium afferret extra Catholicorum fastus non habent imitamenta. Nec alibi pa-

G res

(1) Cum magni referat errores quosvis pueritiæ evacuare noverint Candidati Theologiæ Romulum, ejusque Senatum quem sublimem, & heroicum putant non coaluisse fere nisi ex furibus, Caprariis, Decoctis, hispidis, & ignorantissimis. Ipse Propertius cecinit

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites
Centum illi in prato sæpe Senatus erat.
Curia prætetexto quæ nunc nitet alta senatu
Pellitos habuit, rustica corda, Patres.

res inveniunt pii illi homines, qui Romanæ Sedis cura, immensoque dispendio mittuntur per orbem terrarum qua late patet ad fidem, & salutem afferendam: quos mansuefecisse ex barbaris nationibus, honestosque homines longe plures reddidisse fatetur Buffonius quam phalanges fecerint victrices. Baldeus Heteodoxus stupebat ad Xaverii virtutem incredibilem zelum, puritatem, vigilantiam, patientiam, mansuetudinem. (Apol.Cath.) Illi ipsi qui ad montes, ad rura, ad pastorum tuguria Philosophis invisa se conferunt inter nos prædicandi Evangelii caussa, ferendæque luvis, pacis, consolationis, quam duros tolerant labores, quam suaves in societate pariunt fructus?

XCI. Sed perpetuus Sedis Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ honor fuit, ut non solum doctrinæ Christi depositaria esset, & dispensatrix (*felix Ecclesia Romæ*, inquit Tertul. Præscrip. 36. *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt*.) sed esset virtutum Christianarum, & speciatim Christianæ beneficentiæ, & liberalitatis nidus. Romanorum fidem, & pietatem toto mundo celebrem prædicat Paulus, qui colloquia expetit Romanorum, ut posset *simul consolari per fidem eorum*. Clamat c. 15. Se certum esse Romanos *esse plenos dilectione repletos omni Scientia*. Clemens Papa multos ex Romanis adeo pios, & fortes agnovit, ut se in captivorum vincula sufficerent ut illi solverentur. Sed liberalitatis, & munificentiæ Romanorum testimonium non silendum Sæculo II. habemus in epis. S. Dyonisii Corinthiorum Episcopi. (Apud Eus. lib. 4. hist. c. 23.) Profitetur Sanctus hic Doctor Romanos statim a suscepta fide non solum erga cives suos, sed erga plurimas Civitates, & Ecclesias fuisse liberalissimos, perpetuaque beneficentia opem tulisse damnatis ad metalla; Soterum Papam antiquam liberalitatem non observasse tantum, sed auxisse abunde suppeditando, paternisque visceribus fidelibus, & hospitibus commoda omnia. Persecutione adhuc effervescente sub Cornelio Papa Ecclesia Romana mille quingentos pauperes alebat, & centum quinquaginta Clericos. Sub Xysto, ministrante Laurentio, *numerosissimos Sanctorum pauperum greges sustentabat*. Imo vero dulcibus aquis beneficentiæ, & largitatum Ecclesia Romana steriles provincias irrigabat Arabiæ, & Syriæ, ut Dyonisius Alex. scribit Stephano Papæ (ibid. l. 7. cap. 5.) imo & Palæstinæ, & Ægypti (ibid. not. Vales.) In Ecclesiasticis Historiis Symmachi, Gregorii M., Bonifacii II., Joannis VI., aliorumque Pontificum plurimorum ad pauperes, ad captivos redimendos, & hospites excipiendos, ad infirmos, & viduas, & orphanos alendos, clara opera præstita signata sunt. Benefacta Romanorum Pontificum ad nostra usque tempora Ecclesiasticam implent Historiam.

XCII. Christianorum ferventium adeo propria, & singularis, & admirabilis est beneficentia, ut vires superet imaginationis. Nos ipsi vidimus inaudita portenta in ipsis pauperibus Christianis ancillis, quæ tenui stipendio post annuos labores vix comparato illud statim erogant in fœminas pauperiores beneficentia, quam fere Christus ipse miratus est in paupere vidua largiente minuta duo. Philosophi, qui micas panis e lauta mensa cadentes in porrigentibus quandoque suis extollunt, pudore exuri debent, ut exurebatur Julianus Imperator, qui in solis *Galilæis*, hoc

est

est Christi discipulis, hæc viscera, & portenta misericordiæ infrendens, & lividus observabat, frustraque a Paganis suis præstolabatur. (1)

XCIII. Sed non solum larga, & indeficiens misericordia, & fervens, utilis, & operosa humanitas ad solos Christi discipulos pertinet: sed ceteræ ipsæ virtutes sublimes quidem, & perfectæ. Utinam vires, locumque haberemus picturam exhibendi virtutum admirabilium, quæ in Christianis ferventibus floruerunt, & florent adhuc! Sed quæ manus nisi Angelica pingere possit innocentiam, & puritatem cordis, quæ in Christianis sublimioribus visa est? Suavitatem, ardoremque amoris erga Deum? fidem, obedientiam, sensus gratitudinis, sacrificia, & oblationem animi corporisque in hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; virtutes denique illas adeo eximias, quæ spectaculum sunt Angelis gratissimum, & deliciæ Dei? Quis Christianorum humilitatem, virtutem Philosophis incognitam, quis eorum temperantiam, severamque affectuum disciplinam, & rerum omnium humanarum, voluptatumque contemptum apte edisserat? Liceret saltem Christianorum exhibere sinceritatem, prudentiam, amicitiam, officiositatem, clementiam, affabilitatem, indulgentiam, pietatem, compassionem, justitiam, candidam injuriarum veniam, & amorem inimicorum, generositatem, gratitudinem, urbanitatem plane suavissimam! (2)

XCIV. Sed ut promissæ terræ fertilitatem ex allato uvæ racemo populus intellexit, ita quæ de constantia, & fortitudine Christianorum dici cursim debent ad retundendam Philosophorum superbiam patefacient satis Christianæ virtutis incomparabilem, cælestem, divinamque indolem & sublimitatem. Quam ridicule Pagani, & Philosophi Spartanos ad Thermopylas, Fabios ad Cremeram, Attilios, & Scævolas proferunt, & ut Nazianzenus notat, perpetuo saccum Anaxagoræ, & crus Epitecti obtendunt? Apud Christianos pueri ipsi & puellæ, virgines, & matres, & senes lætanter ibant ad carceres, ad flagella, ad secures, ad leones, ad rogos, ad exquisita tormenta, & diuturna, sine fastu, sine tumultu effervescentium passionum, quæ immanitate febris homini quasi phrenetico momentaneas vires augere videntur. Philosophi ipsi Pagani ad Christianam fortitudinem stupent, & dum ut stultam traducunt, fatentur nullibi visam. (*Lucian. Porphyr. Epict. apud Arr. Antonin. Imp.*) Oportuit Episcopos pænis propositis Christianos deterrere, ne ipsi sponte ob-

G 2 viam

(1) Philosophorum Patriarcha Ferneyensis qui Europæ largitates suas narrabat in magna opulentia adeo tenax fuit, ut teste Hugonet Parocho Ferneyensi nullum obolum porrigeret, sed solas ranciduli jusculi reliquias. Seneca auro tectus eodem morbo laboravit. Si quas vero largitates nostro sæculo Philosophi exhibuerunt quam tenues! quam raræ! Incommodum, aut penuriam pati, aut delicias minuere, ut alii saturentur Philosophicæ non permittunt supputationes. At Charitas Christiana opulentissimos sæpe homines ad mendicitatem, ad æs alienum, ad Lupina, & Chamæunias redegit; ut citatos Episcopos Carolum Borromæum, Thomam a Villanova, & Joachimum Castelli nostris diebus, ne legiones proferamus fidelium ex omni ætate.

(2) Aurea, & immensa volumina quinquaginta jam dederunt nobis Bollandistæ, quibus sanctitas, puritas, mansuetudo, liberalitas, & beneficentia Sanctorum admirabilis sole clarius fulget. Alia forte quinquagena dedissent, si licuisset perficere opus ære perennius. Centum magnis voluminibus vix possunt contineri *notæ, & scriptæ aliquorum* Christianorum virtutes. Pagellis admodum paucis recte facta omnium Paganorum, & Philosophorum expedies.

viam irent carnificibus & gladiis. Hæc constantiæ & fortitudinis portenta ad nostra usque tempora visa sunt in Missionibus apud Infideles persecutione ingruente. In Europa autem Sæculo decimo sexto, ut recentiora sileamus, centena martyrum ex Ordinibus Regularibus visa sunt in Scotia, Anglia, Gallia, Hollandia, qui inter tormenta, & infamiam ostenderunt devota morti pectora liberæ. Nec potest reticeri Thomas Morus ab ipso laudatus Davide Hume ut integerrimus, castissimus, humanissimus, amabilis, fortissimus, subridens ad eductum gladium carnificis, qui plane omnes obliterat athletas Paganæ virtutis.

XCV. Soli Martyres Gorcomenses in Hollandia ex ordine Minorum, millenis Attiliis, Scævolis, Brutis, Deciis, Catonibus fortiores, quam fædam, & duram, & lentam mortem constanter oppetiere! Falsi amici ut Eleazarum quondam eos tentabant, ut non Deo renuntiarent, sed Papæ tantummodo. Sed non potuere, inquit Estius nobilissimus Scriptor, & conterraneus lib. 2. cap. 18. „ Serpentinæ suggestionis flatibus impelli. Quisquis enim Successori Petri, hoc est Romano Pontifici renuntiat, quid aliud, quam veram Christi fidelium Ecclesiam cujus „ ille Pastor, Magister, & Caput est negat? Quod qui facit non homini renuntiat, sed Deo „.

XCVI. Furentes Spartani ad Thermopylas, Fabii ad Cremeram, comparandi ne sunt cum integra legione Martyrum Thebæorum ad Rhodanum apud Allobroges, qui sine spe laudis humanæ, sine ira, sine cæde, sine resistentia, armis projectis, stantes se decimari, tum ad unum trucidari liberrime, & tranquille sinunt pro veritate? Attilii vero, qui exosam sibi vitam ob indelebilem apud Romanos infamiam devicti, & capti a Pœnis arroganti morte illustrare tentavit; vel Scævolæ, qui ne furcis appenderetur ut sicarius, & proditor astu quodam audaci in reis deprehensis non admodum infrequenti flammulæ manum admovit, fortitudinem coactam Lactantius exsibilat post Minucium Felicem, inquiens: *Christiani ut de viris taceam pueri, & mulierculæ tortores suos taciti vincunt. Eant Romani; Et Mutio glorientur, aut Regulo. Ecce Sexus infirmus; & fragilis ætas dilacerari se toto corpore, utique perpetitur non necessitate, quia licet vitare si vellent; sed voluntate, quia confidunt in Deo.* (1)

XCVII.

---

(1) Martyrum virtus, & patientia invincibilis scopulus fuit semper ad quem Philosophorum arrogantia fuit allisa. Philosophi audaces tormenta, & dolores nihil esse dicunt, & facile persecutiones ferri cum Toussentio dum in deliciis vivunt. At vix leviter scabuntur omnem ejurant Philosophiam, factasque snpputationes, & Theorias. „ Dyonisius Heracleotas; inquit Cicero, a Zenone fortis esse didicerat; a dolore deductus est; Cumque ex renibus laboraret clamabat falsa esse quæ ante docuerat „. Seneca tam inexorabilis vix commodi exilii leve pondus gustavit Stoicam ferociam compressit, & retractavit magna sectæ infamia, Lipsii dolore, & sapientum risu. Idem præstitit Cicero. Dum Philosophia non exhibet perpetuo nisi fugitivos, & Apostatas a fortitudine Roma Christiana ubique habet insuperabilis Martyrum fortitudinis monumenta quovis arcu triumphali pretiosiora. Arenariæ, Cryptæ, Silvæ, specus eorum enarrant virtutem, qui turmatim ne virtuti deessent murium, & talparum instar sub terra genus vivendi durissimum, & intolerabile sponte ducebant. Ossa vero illa pretiosa ante Dei oculos ipsos, & ab ipso sollicite custodita quæ Catacumbas implent, Romanumque agrum undequaque Sanctificant, & venerabilem toti reddunt mundo, legiones. & exercitus. Athletarum Christianorum invincibilium produnt. Vide S. Leonis Serm. 1. in natal. App.

XCVII. Qui autem, vel Spartanorum, vel Curii, Fabricii, Cincinnati frugalitatem, paupertatem, labores mirantur, & in deliquium procumbunt, sapienter irridentur ab Augustino, & a Nazianzeno, qui agmina objicit Anachoretarum, qui Syriæ, & Ægypti arenas, & deserta repleverant; quique patrimoniis dimissis in tanta egestate, solitudine, innocentia, & laboribus vixere, ut in extasim rapiant legentes Cassianum, Moschum, Palladium, Theodoretum oculatos testes. Dum Philosophi nostri theatro licet, saltationibus, concentibus, urbis frequentia, & luxu, nominisque celebritate recreati queruli semper sunt, mortalique tædio devorantur, & propriæ existentiæ pondus ægerrime trahunt; ferventes illi Christi Discipuli in solitudine, oblivione, austeritate, vastoque silentio læti, & imperturbabiles perpetuo fuere. Quam mirabilis Christi lex, & gratia!

XCVIII. Sed tandem humana virtus nulla pestilentiæ odorem ferre unquam potuit. Peste ingruente, Philosophi fugiunt omnes (1); Pagani consanguineos, & fratres per vias projiciunt semianimes. Soli Christiani peste captos colligunt, illisque ministrant. Gallieni tempore crudelissima peste Alexandriam devorante, *optimi quique ex fratribus, & ex populo, & Præsbyteri, & Diaconi ob nimiam charitatem curam omnem propriæ salutis abjicientes ægris assidue ministrant proximorum morbum in seipsos quodammodo attrahentes*, ut inquit Dionysius Alexandrinus hæc inspiciens. Eadem prodigia amoris sub Cypriano Carthagine visa. Eadem in Oriente sub Maximiano clamantibus ipsis Paganis: *solos esse Christianos, qui factis misericordiam impendant*, ut Eusebius hæc narrans audiebat: Pestis Sæculi XIV. nugis Certaldensibus notissima, quæ totum orbem vastavit humano genere non semel decimato nonne B. Bernardum Ptolemæum cum suis Monachis intrepide ministrantibus in Hetruria absumsit (2)? Quis Monachos, & Regulares recenseat peste enectos post ea tempora dum serviunt infirmis? Quis Lellios, & Calasanctios, aliosque satis miretur? Mediolani ad unam Caroli cohortationem triginta Regulares viri assurgunt, & peste captis se devovent intrepide, & exhibent animæ magnæ prodiga pectora. Hos inter nonnulli ex Congr. nostra, quibus ex peste sancte contracta decumbentibus adfuit ipse Carolus sacramenta ministrans, extremum spiritum suscipiens, & veluti claudens ocu-

(1) In Antiochenæ urbis discrimine vidit Chrysostomus Philosophos omnes baculo, & pallio projecto fugientes dum Clerici, & Monachi accurrentes cives servarunt; Unde pro merito depilantur ab eo homil. 17. ad Pop. Antioc. „ Ubi nunc sunt pallia gestantes, & profundam ostentantes barbam, & baculos dextera tenentes, externi Philosophi, cynica piacula, submensalibus canibus miseriores; omnes civitatem (periclitantem) deseruerunt. Non nobis sermonibus opus est ad Gentilium nugas manifestandas, & apud ipsos philosophantium pusillanimitatem; rebus ipsis clamantibus tam præsentibus, quam præteritis quod omnia apud ipsos fabulæ & scæna & hypocrisis. „

(2) Calamistratam, & elumbem Certaldensem descriptionem pestis superat in infinitum eloquentia, gravitate sententiarum, energia, affectuum excitatione, styli robore, & elegantia descriptio pestis Mediolanensis facta a V. Carolo a Basilica Petri Epis. Novariensi & C. R. S. Pauli (*in Vita Caroli Bor.*) quam Cl. Possevinus ipsi Thucydideæ longe præferebat.

oculos. Sexaginta heroes Christianæ charitatis animam ponentes pro fratribus peste captis brevi tempore tenuis nostra Congr. peperit Taurini, Genuæ, Bononiæ, Cherii, CMontisferrati, Placentiæ, Viennæ, Parisiis: unum adhuc a Philosophia expectamus. Sole clarius est charitatem Christianam solam morte ipsa fortiorem esse, & arborem esse fructibus suavissimis redundantem; naturalem autem humanitatem in similes (si excipias ea commiserationis opera, quæ suavitatem in animo præstita pariunt, nulloque stant gravi periculo, sumptu aut diuturno labore) non esse nisi virtutem depictam, cujus fructus numquam maturescunt (1).

XCIX. Pauca hæc de virtutibus Christianorum speciminis loco attigimus Augustinum imitati, qui libros integros Romæ conscripsit de moribus Ecclesiæ Catholicæ; quique magnam, & evidentissimam veritatis, religionis, & Catholicæ Ecclesiæ demonstrationem ex ferventium Catholicorum virtutibus plane mirabilibus merito eruebat; ut cæteri etiam PP. omnes fecerunt summo fructu, & jure; & speciatim Justinus, Tatianus Tertullianus, Athanasius, Chsysostomus, Origenes, Lactantius, Eusebius. Ex Paganis cultioribus Justinus, Pachomius, aliique infiniti veritatem Religionis Christianæ agnoverunt, & amplexi sunt splendida Christianorum puritate, & sanctitate permoti.

C. Si tamen Plutarchico more comparatio virorum illustrium placeret specialis, institui raptim posset hoc loco. Volterius, & Encyclopedistæ facultate assumpta classificandi, & loca distribuendi meritis hominum M. Aurelium, & Julianum Imperatorem asserunt esse primos hominum, & primos Principum. Obstupescit sensus communis dum honestissimi omnium hominum quæruntur inter Idololatras, & persecutores Christianorum. M. Aurelii quidem nos etiam impense laudamus recte facta, præclaramque indolem; ut ex Christianis fecit Athenagoras vivente Marco; sed vitiis, iisque gravibus, & societati vehementer noxiis non caruit; ut proinde nonnisi stulte primatus inter Principes, & honestos homines conferri illi possit, qui nec potest recenseri inter **integræ virtutis asseclas**. De hoc M. Aurelio, quem Philosophi eo magis diligunt, quod cætera illustria facta effuso Christianorum sanguine, quasi pretioso murice, & purpura coloravit, ait sensate Brukerius: „ adeo rationis dictamina violavit M. Aurelius, ut singulari nobis exemplo esse queat, ad quæ, falsa quædam Philosophiæ species, peccata, erroresque viros etiam cetera prudentes, & sobrios seducere queat. „

CI. Julianus autem Imperator inter scelestiores, & dementiores homines

(1) Nos quidem qui Stoicos ferreos execramur cum Augustino sensus naturalis commiserationis ut donum naturæ magnificum, & pretiosum laudamus, quod Christiana Religio non solum non destruit, sed auget in infinitum, & perficit. Sed naturalis commiserationis vim cito languescere & extingui dolenter dicimus. In lacrymosis Theatri observatum est eos post ploratam in Scænis Didonis mortem mendicantium, & infirmorum lacrymis nihil commoveri. Alexander Pheræus Tyrannorum Sævissimus post effusos imbres lacrymarum audita Græca tragædia Theatro egressus tranquille, & suaviter cives suos strangulari jubebat. Nisi immensa vis accedat Charitatis Christianæ naturalis humanitas serpit humi, & exarescit.

nes recensendus est, qui artem magicam a Maximo, pedantismum a Libanio superstitiones ab Haruspicibus, Necromantis, Astrologis avide didicit (vid. le Beau.) crudelis, invidus, ridiculus, Principi suo rebellis, simulator; usque adeo furiosus Deorum victimarius, ut Pagano Ammiano teste boves nulli superfuissent, si victor a Persis redisset (1).

CII. Si exemplaria virtutis, & honestatis perfectæ inter principes quæruntur, qui societatis columen, & deliciæ, & salus fuerint, non sunt quærendi nisi inter Christianos. Anglia S. Eduardum; Hispania S. Ferdinandum; Austria S. Leopoldum; Germania S. Henricum; Hungaria S. Stephanum; Gallia S. Ludovicum, Scotia, Polonia, Lusitania, Turingia, Margaritas, Elisabethas, Heduwiges, & alia regna offerunt permultos Christianos Principes castissimos, suavissimos, amabiles, liberales, integerrimos, sine maculis vitiorum ullis, imo omnium virtutum candore, & luce refulgentes.

CIII. Duos placet Principes Christianos objicere duobus vel tribus laudatissimis Paganorum. Theodosius magnus, qui a Flechierio multoque illustrius a Paulino, & Ambrosio elogium meruit immane quantum superavit Trajani virtutes Pliniana oratione eloquenter expositas! Vinosus, impurus, bella, & honores triumphi avide quærens Trajanus. Ejus rescripta circa Christianos justitiæ, & æquitatis & stolidum, & impium violatorem probant. Theodosius humilis, gloriolæ contemptor, castus, frugalis, sobrius, infatigabilis, magno corde, generoso, & sublimi. Urbanissimus in omnes, sincerus populorum amator, amicus fidelis, justitiæ lances perpetuo gerens, & restaurans. Ejus liberalitas immensa, & mirabilis clementia erga reos a Paganis prædicatur. Tributa minuit; pacis amans, & pacem offerens *bella non movit, sed invenit*. Romano exercitu deleto, & Imperatore Valente occiso, & combusto Sarmatæ, Quadi, Marcomanni, Gothi, Hunni, Alani orientis imperium ferro, & igne vastabant a Bosphoro Thracio, portisque Constantinop. ad Alpes Julias. Dacia, Mæsia, Macedonia, Thracia, Dardania, Pannonia, Dalmatia, Epirus, Achaja, Illyria sanguine Romanorum redundabant, direptionibus, & incendiis. Theodosius Gothos, & Sarmatas vix credita, & credibili victoria delevit ictu oculi. Oblatam a Gratiano Imp. purpuram recusavit. nec nisi jussus suscepit. Orientales, & Boreales, & Tyrannos perpetuo victor fundit Deo ipso aperte opem ferente unde illa pulchra carmina Pagani Poetæ Augustino ipsi chara

> Oh nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
> Eolus armatas acies, cui militat Æther;
> Et conjurati veniunt ad classica venti

Hinc Theodosius non sibi laudes, & triumphos decerni sinit, sed Deo gratias agere instanter Ambrosium jubet, qui Imperialem epistolam sacrifica-

---

(1) Solum le Beau citamus Philosophis, quia ipsis suspectus esse non potest. Sed qui profundam, & veram ideam hujus Philosophi monstri, qui *odit Philosophici* sublime fuit exemplar efformare cupit adeat Baronium, & Orsi, & speciatim Gregorium Nazianzenum Or. 3. & 4.

ficaturus defert ad Altare, manibusque tenet quasi gratissimam Deo oblationem. In rebelles expugnatos adeo suavis, ut non vitæ tantum, aut bonis eorum parceret, sed ne *verbo quidem duro* eos affligeret; divitiis imo augens, & honoribus, matrique, & filiis Tyranni pecuniam ex ærario impertiens. Injuriarum patiens adeo, ut lege lata (Cod. Theod t. 3.) vetuerit obtrectatores suos a præfectis puniri, & Patris sui usque occisoribus veniam dederit (1). Non visæ benignitatis exemplar appellatus ab Ambrosio, judice sane longe severiore, quam sint Plinii, vel Capitolini, &cæteri Pagani cæcutientes circa virtutem. Admirabilem in Deum pietatem, Christianam puritatem morum, Religionis zelum, perpetuum orationis studium, stupendumque illud docilitatis, & modestiæ prodigium & fletus perpetuos, & uberrimos ob læsam una vice aliorum culpa, & impulsu humanitatem, quos nulla unquam silebit ætas, & Mediolani parietes, & fora, & templa adhuc enarrant; cæterasque virtutes Christianas non enumeramus. Non solum Historici Ecclesiastici, Rufinus, Orosius, Theodoretus, Socrates, Sozomenus; sed PP. illustriores, Ambrosius, Augustinus, Paulinus, Fulgentius, Synesius, Facundus Theodosii virtutes admirantur. Hostes fere Pagani Symmachus, Themistius, Pacatus, Aurelius Victor summas laudes denegare Theodosio nequiverunt.

CIV. Princeps alter ex Italia, nostrisque vicinior sæculis educatur B. Amedeus IX., ex cujus sanguine piissimi Reges, & Principes efflorescunt Hic hominum mansuetissimus a lenitate in rebelles ipsos nec in magno Solii amittendi periculo, & formidine potuit dimoveri. Justitiæ cultor admirabilis, castus, pius, sobrius, laboris patiens; gravissimas ægritudines non Stoicis pharmacis imbecillis dissimulare tentans, sed Christiana virtute invicta ferens infracto animo, & vere tranquillo, & hilari. A bellis abhorrens, in Christianæ tamen Reip. discrimine intrepidus pecunias, arma, milites, seipsum, vitamque suam Mantuæ offert primus Pontifici Maximo. Liberalitatis illustria, tum in itinere Romano dedit exempla, tum Romæ Apostolorum Principi gemmas offerens pretiosissimas. Sed perpetua misericordia effusis largitionibus in pauperes, & excitatis Nosocomiis ærarium sæpe exhausit; quærentibusque Præfectis, & Tribunis; quid remaneret ad arces muniendas, ad delectum militum, ad Regiæ Domus ornamenta, respondit magnum illud & aureum, & divina plenum

fide:

(1) Non ex Titi verbis, sed ex verbis aureis Legis Theodosianæ literaliter expressi videntur celebres illi versiculi Romani Poetæ qui heu! nimium erotica cecinit; cujus cantibus Augustinus conquereretur auctas procellas & fluctus *maris magni, & formidolosi* Evæ filios submergentis; ejusq. mulsum suave terribili infectum veneno. Poeta unus ejus nomini devotus absolvi illum & veracissime, & eloquenter accusatum non potuisse finxit ingeniose nisi lancibus Justitiæ antea ab Judice projectis. Sed Theodosiana Sapientia animum mulceamus

Se 'l mosse
Leggierezza; nol curo:
Se follia; lo compiango:
E se in lui sono
Impeti di malizia; io gli perdono.

fide: *pauperes*, quos & per Taurinensem Urbem ambulans, & ad mensam socios habebat, vestesque illis proprias largiebatur quandoque, vel ægrotantibus propriis manibus inserviebat; „ pauperes esse suas legiones invictas, sua tormenta bellica, suas arces inexpugnabiles, sua etiam „ oblectamenta, suosque canes venaticos, quibus opimam Cælorum „ prædam venaretur. „ Habent Philosophi quid sentiant de teneritudine materna charitatis Christianæ; ejusque immenso robore; deque virtutibus, quæ in Christianis Principibus floruere.

CV. Sed omnis fructus palmitum Viti debetur, & pretioso ejus succo Omnis vera honestas, & virtus oritur a gratia Jesu Christi, quæ hominem non forinsecus docens, sed mentem intrinsecus illustrans, internoque veluti balsamo corda perfundens, sanans, refocillans, accendens vires tribuit admirabiles. Intimiora gratiæ mysteria expositnri observamus primo Ecclesiam ab omni antiquitate quæ de Christi gratia sentienda sunt perpetuo sensisse, unde recte ait Augustinus contra Pelagianos: *fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit*. Hinc ad primas epistolas Africanorum synodicas fluenta sanæ & antiquissimæ doctrinæ effundens respondit Innocentius Papa, de quo Augustinus: *quid potuit ille Vir Sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia?* Hinc Augustinus dogmata, quæ tradit contra Pelagianos probat ex Orationibus Ecclesiæ, & traditione, ex Sedis Apostolicæ documentis, ex Cypriano, Ambrosio, aliisque. Recte ergo Bossuetus clamat: novas omnino nullas in Ecclesiam sententias invexisse Augustinum, sed jam veteres explicasse; & pessime, & impudenter Launojus novitatis Augustinum accusat, errorisque. Egregie, & nitide Card. Gerdilius: „ quando si dice essere stata adot„ tata dalla Chiesa la dottrina di S. Agostino in materia di grazia, ciò „ non si dee intendere in questo senso, quasichè S. Agostino abbia „ immaginato un sistema suo proprio, che la Chiesa indi adottato ab„ bia come suo, nella guisa che un Accademia per esempio potrebbe „ adottare, e rendersi proprio un nuovo sistema Filosofico. Ciò sareb„ be un andare ben lungi dal vero. Il pregio di S. Agostino si è di „ avere con maravigliosa dottrina esposta, e difesa l'antica credenza „ de' fedeli contro le perniciose novità di Pelagio massimamente, e de' „ suoi seguaci, o adoratori. „

CVI. Observamus etiam primariam prostratæ hæresis Pelagianæ gloriam deberi Sedi Apostolicæ, quod agnoscit Augustinus non solum cum dicit: de hac causa Pelagiana *missa sunt duo concilia ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est*; Sed cum scribit 2. Retract. „ Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis Auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ prius Innocentio, deinde Zozimo cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris convicta, atque damnata est scripsi duos libros adversus eos „. Hinc Prosper gladio Apostolico amputatum caput erroris narrat; & pestem subeuntem a Sede Romana Petri primo recisam. Innocentii certe Decretalis Pelagium damnans omnes gratiæ Christi dilectores, & Ecclesiam suavissima replevit dulcedine, & Iris fuit annun-

tians serenitatem: Quippe docente Augustino ad Bonifacium: *litteris beatæ memoriæ Papæ Innocentii de hac re dubitatio tota sublata est*. (1) Sed renovatis Hæreticorum furoribus Decretalis, & Tractoria Zozimi fulmen fuit, quo in cineres redacta est hæresis pelagiana. Zozimus præmissa correctionis *clementissima suasione*, *sed servata antiquissimæ & robustissimæ fidei firmitate*, ut loquitur Augustinus, Pelagianos tandem decretorio judicio anathematizavit Apostolicis litteris missis per totum Orbem, quibus Episcopi omnes subscripserunt. Atque ita gladio Petri ad impiorum detruncationem dexteras omnium armavit Antistitum, ut loquitur Prosper; qui sæviente semipelagianorum procella ad pretiosum de gratia Dei depositum tutandum, & Augustini nomen vindicandum ad Sedis Apostolicæ petram, & veritatis propugnaculum exitu felicissimo convolavit.

CVII. Sed quamquam gloria triumphi de Pelagiana hæresi prostrata Sedi Apostolicæ debeatur, & Laureatæ Epistolæ Zozimi, per quam *Sacrosancta B. Petri sedes ad universum Orbem Zozimi ore locuta est*, ut ait Prosper: tamen Augustino summa post Apostolicam Sedem laus debetur; quia bellum Pelagianum gessit summo robore, & consilio. Hinc Romani Pontifices magni semper Augustinum, ejusque libros fecerunt; quorum aliquos Augustinus ipse Sedis Apostolicæ & Bonifacii Papæ judicio subjecit, *non tam discendos*, *quam examinandos*; *& ubi forsitan aliquid displicuerit emendandos*. Sed Romanis Pontificibus bene multis eos laudantibus crevit Augustini gloria; mutuatoque a Sede Apostolica splendore Augustinus perpetuo fulget in Ecclesia.

CVIII. Paucissimi quidem Episcopi veneno Pelagiano infecti Decretali Sedis Apostolicæ subscriptione Episcoporum etiam obsignatæ restiterunt; & ad Concilium appellarunt plenarium, qui proinde depositi fuere ab Episcopatu. Vanas horum Pelagianorum appellationes, & querimonias refutavit Augustinus. Jam antea Cælestius synodum æcumenicam postu-

(1) In resp. Innoc. ad Syn. Afr. adeo laudata ab Augustino hæc habentur Pontificis verba: „ Antiquæ traditionis exempla servantes, & ecclesiasticæ memores disciplinæ „ vestræ religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronun„ ciaretis vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium; „ Scientes quid Apostolicæ Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus „ Apostolum, debeatur; a quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis hujus „ emersit . . . . Patrum instituta Sacerdotali custodientes officio non censetis esse cal„ canda quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid de dis„ junctis, remotisque provinciis ageretur non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus „ sedis notitiam perveniret, ubi tota hujus auctoritate justa quæ fuerit pronunciatio fir„ maretur, indeque sumerent ceteræ Ecclesiæ velut de natali suo fonte &c. „ In responsione ad Patres Milevitanos quos inter erat Augustinus hæc habet Innocentius: „ Di„ ligenter ergo, & congrue Apostolico consulitis honori: honori inquam illius, quem „ præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super an„ xiis rebus quæ sit tenenda sententia; Antiquæ scilicet regulæ formam sequuti, quam „ toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam . . . . Scientes quod per omnes „ provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quo„ ties fidei ratio ventilatur arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros nonnisi ad „ Petrum, idest sui nominis, & honoris auctorem referre debere, veluti nunc retulit „ vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune pro„ desse „.

postulans a Cælestino Papa pulsus fuerat a tota Italia laudante Prospero. Hinc recte Natalis Alexander: „ Synodus æcumenica Pelagianis postulantibus jure negata; sufficiens erat judicium in eos latum a Romanis Pontificibus „.

CIX. Semipelagianismi autem sublati gloria prope tota Apostolicæ Sedi debetur. Nam postquam Apostolica Sedes in Hydra Pelagiana conterenda assidue vigilavit, eamque, ut loquitur Gelasius in ep. ad Honorium Ep. Dalm. *per Innocentium, Zozimum, Bonifacium, Cælestinum, Xystum, Leonem continuis, & incessabilibus sententiis prostravit*, Semipelagianismi tandem fibras omnes, radicesque extirpavit in Arausicana Synodo II., quæ Synodus pretiosa nihil est aliud nisi diploma Sedis Apostolicæ, & Felicis IV. *Pervenit ad nos*, inquiunt doctissimi, & sanctissimi PP. Arausicani, *esse aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio minus caute, & non secundum fidei Catholicæ regulam sentire velint, Unde id nobis secundum auctoritatem, & admonitionem Sedis Apostolicæ justum, & rationabile visum est, pauca capitula ab Apostolica Sede nobis transmissa ab omnibus observanda proferre*.

CX. Hoc loco jam prope ingressuri penetralia intima mysteriorum gratiæ utile putavimus acceptare, recensere, nobisque observandas proponere regulas æquissimas a Theologis propositas nobis, quas Witassius enumerat. Celeberrimæ plane sunt istæ, quas Augustinus ipse expresse tradit, ut sit *in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas*. Fidem enim violari, aut ejus quasque particulas nefas est: *liberæ autem quæstiones hactenus ultro, citroque agitari solitæ in Scholis: in necessaria dogmata non erigantur*, inquit citatus Doctor Sorbonicus, qui si contraria methodus adhiberetur, incurri dicit posse *in peccata non levia*, quæ singillatim recenset.

CXI. Ut charitatem autem, pretiosissimam Christianorum gemmam, ab omni obfuscatione sollicite custodiamus, nos singularem reverentiam, magnamque amicitiam profitemur erga omnes Scholas Catholicæ Ecclesiæ, quas veluti cognatas acies, & castra Dei confæderata consideramus, dum sine offensione in veritatis illustratione quælibet pro virili laborat. Mellita etiam illa Augustini verba ad Hieronymum sæpe revolvimus, quæ methodum scribendi innuunt adhibendam inter viros Catholicos, & Augustinum imitari cupientes: *inter nos quæramus, ac disseramus aliquid, quo sine amaritudine discordiæ corda nostra pascantur; fiat. Si non possum dicere quid mihi emendandum videatur in scriptis tuis, nec tu in meis, nisi cum suspicione invidiæ aut læsione amicitiæ, quiescamus ab his, & nostræ vitæ salutique parcamus. Minus certe assequatur illa, quæ inflat; dum non offendatur illa, quæ ædificat*; Quid illa Augustini ejusdem? Quam plena succi, & sapientiæ & suavitatis? *Quam stulti essent duo volentes solem oriturum videre si contenderent inter se qua parte oriturus esset, & quomodo videri posset: & nata controversia inter se litigarent, litigando se cæderent, cædendo oculos suos extinguerent, ut illum ortum videre non possent?* Labia Augustini vere sunt favus distillans; ab eoque moniti adolescentes cavebunt ne asperam Paganorum eloquentiam

 imi-

imitentur. Latina ferocia; (1) vel Græca Æschinis & Demosthenis se mutuo in Foro Atheniensi dilaniantium utinam Sæc. xv. non revixisset inter litterarum græcarum, latinarumque Restauratores. Optandum certe melleum Augustini stylum scribendi normam esse inter Catholicos, qui fratrem lædi non posse sciunt quin oculi Christi pupilla lædatur.

CXII. Illam etiam prudentissimam Theologorum regulam vehementer laudamus, quam ita exprimit Witassius: „ Si qua specie tenus durior veritas exponenda veniat, ea non crudis, & exulcerantibus verbis, sed quantum fieri potest, mollibus & commodis explicetur, ne infirmis sit offensioni „. Hanc regulam luculentissime statuit Augustinus lib. de Dono Persever., & perpetuo observavit. Hinc tam mira nitet in Augustini scriptis unctio, dulcedo, charitas; & cum veritatis splendore tum sæpe calicem suavem Augustinus porrigit sanctæ spei, & consolationis.

CXIII. Audientes autem verba illa Bossueti: *Un uomo, che pretende difendere la fede dall' Eresia Ariana meglio che non fecero i Padri allorchè la Chiesa era tutta affaccendata per combatterla deve per ciò solo esser sospetto*: Intelleximus fidem divinæ gratiæ ab hostibus vindicari non posse melius, quam fuerit tempore Augustini, Innocentii, Zozimi, Cælestini, Felicis IV., Synodi Arausicanæ; eorum proinde divitias unice colligere curamus. Imo ut magnus ille ardor Racinii, qui in nostrum scholæ stylum invehitur iratus, defervescat, utque sola charitatis blandimenta ad eum mitigandum adhibeamus, nos illustrium gratiæ Vindicum verba ipsa sine ulla mutatione, summaque cum simplicitate usurpabimus.

CXIV. Magna in primis est consolatio hominis in sinu Ecclesiæ Catholicæ quiescentis scire quam simplicia, & brevia sint Ecclesiæ dogmata de gratia. Paucis expediri posse, quæ Ecclesia docet circa gratiam notat Serryus *Prælud. de Sacram* (2). Concilium Africæ universale tempore Augustini novem canonibus omne divinæ gratiæ ædificium construxit, & communivit contra impetus vehementissimos furentium eo tempore Pelagianorum. Paucis capitulis satis authenticis sistema Sedis Apostolicæ circa gratiam complexus est Cælestinus Papa, qui Ecclesiæ Orationes compendia Theologica circa gratiam rectissime putavit, unde habet illud: *Legem credendi lex statuat supplicandi*. Innocentii vestigia Cælestinus pressit Synodus Arausicana, & Tridentina simpliciter, & breviter gratiæ dogmata exposuerunt.

CXV. Augustinus vero, quo nemo attentius, & maturius hanc provinciam perlustravit quamquam tanta coactus fuerit scribere, & centies repetere contra centies repetitos errores, & innumerabiles cavillationes hæreticorum, expresse tamen docet in paucılis Ecclesiæ *Oremus*, sive Orationibus ea contineri, quæ ipse tanto labore collegit, & scripsit contra perfidiam, & garrulitatem Pelagianam. Immo vero in sola oratione *Pater noster* Catholicum ait contineri gratiæ systema. Scribit enim de

don.

(1) *Duobus verbis* inquit Lactantius 6. 18. *Duas virtutes maximas bono & Sapienti Viro innocentiam patientiamque detraxit Cicero. Sed quia ipse caninam illam facundiam sicut Sallustius ab Appio dictum refert exercuit voluit quoque hominem canino modo vivere ut remordeat lacessitus.*

(2) *Mittimus Holden qui in Analys. l. 2. c. 5. docet duobus artic. contineri doctrinam Ecclesiæ.*

Sono esposti in questo libro da due
tre Trattati Teologici per uno
P. D. Enerico Bruno Preposito Gen
[illegible] de Statu e de Incarnatione
dell'altro. Noi non daremo conto
del primo intitolato De lege et
è in forma di disputazione, e
[illegible] di questo piano
[illegible] di tutti i veri principj, di
[illegible] interzioni e riparazione, di
[illegible] il cuore di giovani Teolog
[illegible] Opera le stili [illegible] e animati con
[illegible] belletezza eloquenza, la [illegible]
[illegible] si propone la verità. [illegible]
[illegible] paradossi di [illegible], la nobil
tetremente della elevazione, sappiamo
[illegible] in tal genere di scrivere l'ha [illegible]
~~[illegible] piuttosto saggio che~~
~~[illegible] fare una compita analisi~~
del [illegible] inculcano, che il piccol
[illegible] per cui non ne avi leggiero
[illegible] di leggere questi [illegible]
[illegible] cui viale in due
della legge, e la seconda della [illegible]
quanto importante e [illegible]
[illegible] Nobili e dei Pontefici [illegible]
~~[illegible]~~
S. Leone M. [illegible] Cattedra [illegible]
[illegible] applicheto con ogni [illegible]
[illegible] degli antichi propongono
[illegible] più quelli, chiamano le stesse
[illegible] della [illegible]
[illegible] gl'intellet[illegible]
[illegible] natura dell'uomo, [illegible]
[illegible] gli antichi filosofi
[illegible] e [illegible]
e affinchè i giovani [illegible]
[illegible] meglio, che [illegible]
[illegible] alla Fede. [illegible]

4

Terza parte [illegible]

7 (onde maravigliare [illegible] quei
che per i peccati del [illegible]
o per le leggi alterate di [illegible]
vantano i prodigi dell'antica
oppilazioni realmente ogni meschina

S.

7 tanto encomiato da S. Paolino
e Ambrogio

s
s
a
c
r
b
ie
m
ce
li-
ro
u-
im
as
di-
tra
am
ile
gra-
tio-
di-
ime
m,
sam
t si-
iam
ju-
nihil
que-
ata,
licta
I.

della umana natura, e da ciò che ne dice l'Apolo[gia], i[l] [illegible], e la storia profana fa vedere che i costumi degli antichi furono sommamente depravati ed orrendi. Tratta più distintamente di Greci e di Romani, che furono fra altri gli [illegible] più celebri, e ispirandosi a celebrare in appoggio le lodi di Roma Cristiana, (il che fa l'A. in più luoghi (p. 37. 46. 50. not. al p. 51) per la [illegible] stima venerazione che egli ha per quella Chiesa, il mi proposito [illegible] Dice si è di questo non solo la depositaria e dispensatrice della dottrina di Cristo, ma il nido ancora delle virtù cristiane, e specialmente della cristiana beneficenza e liberalità); espone con molta energia le infamie della pagana città Romulea, [illegible] gisa la fogna di [illegible], il [illegible] [illegible] ferocia de' Quiriti. Osserva in particolare, che a dimostrare [illegible] loro furore, e i sanguinarj vindettismi che piaceva loro i soli giuochi de' gladiatori, i quali [illegible] potevano [illegible] a [illegible] se non [illegible] e [illegible] secondo Tertulliano, con [illegible] [illegible] S. Cipriano, con [illegible] S. Greg. Nazianzeno [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], con [illegible] [illegible] S. Teodoreto, [illegible] potergli ad egli [illegible] [illegible] [illegible] lingue e con [illegible] [illegible] al [illegible], come [illegible] [illegible] [illegible] di ferro [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] di religione vedere le ferite, le piaghe, le stragi ed uomini [illegible] nel proprio sangue. Ma conviene abbreviare, onde non [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ciò che qui [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

don. Pers. c. 7. *Si alia documenta non essent hac dominica oratio nobis ad causam gratiæ quam defendimus sola sufficeret*. Orationes vero Ecclesiæ ut inexpugnabiles habet gratiæ arces & fatales mucrones quibus hæresis Pelagiana prosternatur unde Vitalem provocans ajebat: *exerce contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas*. Ecclesiam vero alloquens c. 7. de don. Persever. inquit: *prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas Orationes suas*. Et cap. 23. „ De hac enim re, quam nunc adversus novos hæreticos non commemorare tantum, sed plane tueri, & defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis Ecclesia . . . . Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem hujus prædestinationis, & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos cura diligentiori defenditur, ille inquam hoc dicat, qui dicere audet aliquando eam non orasse, vel non veraciter orasse sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles. Quæ bona si semper oravit; semper ea Dei Dona esse utique credidit; nec ab illo esse præcognita unquam ei negare fas fuit. AC PER HOC prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit „.

CXVI. Orientis fidem orthodoxam circa gratiam Petrus diaconus unus Legatorum Orientalium ex uno Basilii *Oremus*, sive precatione, quam universus pene Oriens recitabat abunde colligi docet inquiens: „ ecce quam breviter, quamque succincte doctor egregius olim huic controversiæ (Massiliensium) finem posuit docens per hanc precem non a seipsis, sed a Deo malos homines bonos fieri; non sua virtute, sed divinæ gratiæ adjutorio in ipsa bonitate perseverare „. Ex Sardinia vero insula quæ Pelagianismi fulmina aliquanto tempore meruit possidere (Augustinum dico, & Fulgentium, & Sanctos Episcopos exules Africanos) rescribit Fulgentius gratiæ dogmata pariter per Orationes comprobans dum ait: „ Operante illo medico, quo opus est male habentibus, infirmitas expellatur, natura sanetur, quam sanitatem poscebat qui dicebat: ego dixi domine miserere „. Concilia pariter Africana Chartag. & Mil. contra Pelagianos utuntur formulis orationum, sive benedictionum Episcopalium super populum.

CXVII. Serrius observat Prælec. 4. Augustinum adpromississe facile ineundum fœdus cum Pelagianis ipsis si ultra possibilitatis gratiam, gratiam actionis agnoscerent. Revera habet hæc verba Augustinus attentione dignissima lib. de gratia Christi: „ Quantum attinet ad istam de divina gratia, & adjutorio quæstionem tria illa, quæ Pelagius apertissime distinxit attendite: posse, velle, esse; idest possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis non solam possibilitatem sed ipsam quoque voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus; eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum D. N., in qua nos sua non nostra justitia justos facit, ut ea sit nostra vera justitia, quæ nobis ab illo est, nihil de adjutorio gratiæ Dei quantum arbitror inter nos controversiæ relinquetur „. Cessant ergo juxta Augustinum controversiæ circa gratiæ dogmata, proindeque satis circa hæc eruditi fideles sunt, si agnoscant supradicta plane simplicia, & brevia.

CXVIII.

CXVIII. Cardo, & fundamentum totius doctrinæ de gratia est dogma illud fidei: Christi gratiam hominibus non dari ex eorum meritis. Hoc dogma millies ab Ecclesia definitum Augustinus repetit qualibet pagina contra Pelagianos. Superbis hominibus, Judæis carnalibus, Philosophis & Stoicis alte de se sentientibus qui veluti Narcissi ad fontem in contemplanda proprii cordis pulchritudine deliquescunt, asperum videri potest; sed suave est, & blandum humilibus Christianis. Dulce plane est homini proprii cordis plagam inspicienti, propriamque inopiam & indignitatem scire, & fateri Christi gratiam dari mendicis & immerentibus, & omnino gratis; dulce est agnoscere Dei benignitatem, *qui prior dilexit nos, cum adhuc in peccatis essemus, & non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam magnam salvos nos fecit*.

CXIX. Meritis igitur naturalibus nullo modo alligetur gratia, & omnes naturæ dotes, & vires, & fructus nec nominentur, cum de Christi gratia sermo est. Roma a Paulo Apostolo accepit medicamen æternum contra lepram Pelagianorum alligantium meritis naturalibus fidem, & gratiam. Qua enim vehementia in admirabili epistola ad Romanos tonat, & fulgurat Paulus contra Judæos, & Græcos propriis meritis confidentes? Sola Dei misericordia plane infinita, sola Dei non immensa tantum sed *nimia charitas, qua proprio filio non pepercit* propter nos: solus Christi sanguis inæstimabilis valoris effusus ad gratiam Dei hominibus indignis obtinendam attendatur, & in hoc infinito divitiarum, & misericordiæ thesauro Christianus spem suam omnem, unice & intrepide reponat quia *spes non confundit*. Revera Jesus Christus Amicus, Frater, Redemptor, Sacerdos, Mediator, Hostia, Salvator hominum debitas nobis pœnas in se transtulit, & solvit in cruce ut a captivitate dæmonis nos redimeret, ut ex filiis iræ nos reconciliaret Deo, & faceret filios Dei, suosque cohæredes, ut super nos effunderet thesauros gratiæ Dei: *in quo habemus redemptionem per sanguinem Ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis*. Audiamus Clementem Papam qui post Petrum Pontificum primus cæpit edisserere systema Sedis Apostolicæ in sua aurea epistola prima ad Corint. quam potentissimam appellat Irenæus, utilissimam Hieronymus, eximiam prorsus & mirabilem & receptam ab omnibus, & publice quotannis legi solitam Eusebius. *In Christo Jesu vocati non per nos ipsos justi efficimur, neque per sapientiam, aut intelligentiam, aut pietatem, aut opera, quæ in cordis sanctitate operati sumus . . . . . . fixis oculis respiciamus in sanguinem Christi, cernamusque quam pretiosus Deo sit ejus sanguis, qui propter nostram salutem effusus toti mundo pænitentiæ gratiam obtulit*.

CXX. Cardo alter, & fundamentum Christianæ doctrinæ est, ad quemlibet actum vere salutarem Gratiam Dei necessariam esse, ipsiusque gratiæ esse donum juxta Can. 9. Synodi Arausicanæ. (Vid. integr. Trid. sess. 6.) Hinc homo indiget prorsus gratia Dei, & ad fidem; & ad initium fidei; ad conversionem, & justificationem; ad juste vivendum; ad vitanda peccata; ad superandas salutariter graves tentationes; ad Deum super omnia diligendum ut oportet; ad servanda præcepta: & ad

per-

perseverandum; quoniam sine speciali auxilio ut loquitur Tridentinum non possumus in accepta justitia perseverare.

CXXI. Nemo igitur in se ipso confidat, & in excellentia cordis, mentisque suæ. Baculus est arundineus, qui confringetur. Cor Adami, Davidis, & Salomonis longe optimum inter homines. Sed qui fœdiores lapsus? Unde Hieremias cap. 17. *maledictus homo, qui confidit in homine; & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit quasi lignum, quod ad humorem mittit radices.* Judæi superbi se omnem legem observaturos adamussim spoponderunt propriis fidentes viribus: sed a radicibus Montis Sinai non discesserunt antequam adorarent Deos mugientes, & comedentes fœnum. Eodem Pelagiano fermento Philosophi tument ab Philosophiæ ortu ad nostra usque tempora. Philosophi omnes Cicero, Seneca, Horatius, Epictetus, Stoici Pelagianissimi sunt, intimasque eorum Pelagiana urit flamma medullas. Dum ergo Philosophi elati intonant: *æquum mi animum ipse parabo*: dum judæi superbi arroganter respondent: *omnia, quæcumque dixerit Dominus faciemus*: Christianus clamet suppliciter, humiliter, confidenter cum Ecclesia, & Augustino: *Domine da quod jubes, & jube quod vis.* Si rite intelligatur immensa humani cordis imbecillitas sine tumore, & arrogantia idiotæ, despecti, & pauperes aspicientur cum Deus sæpe elegerit *pauperes in hoc Mundo, divites in fide, & hæredes regni*. Intelligetur quam falsa, & detestabilis sit ferox, & superba fortitudo Heroum quos Poetæ, & Philosophi, & Scenæ perpetuo extollunt. Evangelium, Crucifixi contemplatio, humilitas, veritas, mansuetudo, charitas, fides, patientia, obscuritas, orationes, & postulationes ad Deum assiduæ, quas hostes religionis oderunt, & irrident intelligentur refugium esse debere hominis cujuslibet, qui animæ sanitatem, virtutum assecutionem, æternæ beatitudinis donum a Christi gratia, & munere percipere exoptat.

CXXII. Hoc loco facile intelligitur veritas illius axiomatis Christiani Sanctis omnibus tam dulcis, & tam frequentis, & tam necessarii ad fovendam sincerissimam humilitatem, & orationis studium, & vividos grati animi, & amoris sensus erga Dei, & Jesu Christi liberalitatem, & misericordiam: *Merita nostra sunt Dona Dei*. Hoc axioma millies ab Augustino repetitum Cælestinus Papa, Synodus Arausicana, & Tridentina solemniter consecrarunt. Compendium est nitidissimum integri tractatus de gratia; quo pronunciato expugnatam prorsus hæresim Pelagianam putabat Augustinus; ex quo etiam facile cætera intelligas, & sublimiora. Nam si omnia merita nostra sunt dona gratiæ Dei; ex nobis, tanquam ex nobis, habere non possumus merita, quibus gratiam Christi nobis comparemus; quare illa ex sola Dei misericordia, & liberalitate datur, & præparatur: proindeque prædestinatio ad gratiam prorsus est donum misericordiæ Dei hominem diligentis, & præparantis beneficia sua, ut fides docet.

CXXIII. Imo vero admisso sincerissima mente, & simplici corde ut Christianum decet hoc axiomate; jam illa etiam, quæ agitatur quæstio inter Catholicos, an prædestinatio ad gloriam sit ante prævisa merita gratiæ, gratiæ quidem; (nam merita naturæ jam diximus nec nominan-

da

da esse, jacetque Pelagianorum error sub mole anathematum attritus) quæstio inquam illa Catholicorum longa satis, & vehemens videtur evanescere: *non ita magni momenti est*: *nec fidei est*, *nec tanquam fidei ab Augustino tradita*: cui imo *non fuit de hac præcise quæstione cum Pelagianis*, *aut aliis controversia* ut loquitur Jansenius ipse lib. 9. de gr. cap. 15. & 24. qui *bonos Theologos*, & cum quibus *nolit contendere* profitetur eos esse, qui Augustini gratiam admittentes negant prædestinationem ad gloriam esse ante prævisa merita gratiæ. Revera de efficacia, & largitione gratiæ Christi recte sentit quisquis sincere profitetur merita nostra vere esse Dona Dei. Statim ac autem recte sentitur de efficacia, & largitione gratiæ; iterum juvat dicere; quando recte sentitur de gratiæ robore, & gratuitate prorsus sine theologico errore ullo potest quilibet negare prædestinationem ad gloriam esse ante prævisa merita gratiæ. Id fatetur præter supracit. ipsum Jansenium ipse Arnaldus lib. 7. cap. 1. Nouv. Defens. Id ipse Nicolius (1) Exp. Symb. Instr. 2. cap. 2. & 4. Id Natalis Alexander ep. 4., & qui hac in re cæteris præferri meretur Cl. Thomas de Lemos in Congr. de auxil. (*lib.* 3. *cap.* 41.).

CXXIV. Si merita nostra dona sunt Dei facile ut diximus potest intelligi gratiam Christi tanti roboris esse, & efficaciæ, ut non solum donet possibilitatem, sed faciat nos velle, & operari; quod millies Augustinus docet; quodque docent etiam Orationes Ecclesiæ, pretiosa illa Theologiæ compendia Augustino tam chara. Petimus namque donum credendi, donum amandi, donum perseverandi. Evidens est, inquit Bossuetus post Augustinum, a Deo peti, quod ipse facit, ne irrisorie petamus. Facit ergo Deus ut credamus, ut amemus, ut perseveremus. In Arausicana Synodo sunt plura in hanc rem, quæ Scripturæ explicant documenta; quarum plenitudinem conclusit Paulus divinis illis verbis: *quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

CXXV. Quando autem simplici corde hæc admittitur propositio, quam certam, & indubitatam fidei Doctrinam appellat quæst. 9. art. 1. Tourne-

---

(1) Audet Nicolius progredi usque adeo, ut teneri nos dicat ad acutiores investigationes hac in re evitandas L. 6. de Orat. Cap. 5.: Ben lungi, che si sia obbligato ad applicarsi distintamente (al pensiero dei giudizii di Dio sopra di noi) si è al contrario obbligato di non applicarvisi. Imperocchè l'intelletto umano non essendo capace di sostener quest'oggetto Dio pure vuole che fuggiamo di riguardarlo, e che ci contentiamo di una sommessione confusa a' suoi ordini. Et T. 1. *Essais* docet animam divinæ voluntati submissam cum Propheta dicere: *in manibus tuis sortes meae*. „ Mais elle a grand soin de ne s'abandonner pas trop a cette pensée, & de ne s'y enfoncer pas trop avant; la foiblesse de notre esprit n'etant pas capable de la porter. Il est juste qu'elle epargne sa foiblesse en ne s'occupant pas d'une pensèe si terrible. Secondement elle n'a aucun sujet de croire que cette arrêt ne lui sera pas favorable... elle voit que Dieu veut qu'elle nourrisse, & entretienne son esperance, & que sur tout elle se garde bien de le regarder comme une ennemi, qui n'auroit aucun amour pour elle. Car cette idee est fausse, & execrable. Il y a toujours en Dieu des entrailles de misericorde pour recevoir le pécheurs s'ils retournoient a lui, & s'ils se convertissoient. Son sein paternel leur est toujours ouvert &c.

nelyus: *efficax Dei gratia certo, & infallibiliter dat velle, & operari*; si hæc inquam propositio salubri sua, & pretiosissima (Prop. 26.) obscuritate involuta admittitur simplici corde sarta tecta est vera de robore gratiæ Christi Doctrina. Nam parum solliciti esse possumus (*de sum. gr. Chr. Doctr. præst.*) de modo, quo Dei gratia operatur velle, & perficere. Revera hunc modum non Innocentius, non Zozimus, non Cælestinus, non Xystus, non Leo, non Gelasius, non Hormisdas, non Felix IV., non Synodus Arausicana, aut Tridentina indagavit, aut explicuit. Unde satis est gratiam admittere in cordis simplicitate, quæ vere operetur velle, & perficere ut de robore gratiæ cum omni antiquitate Christiana sentiamus. *Nihil ultra scire omnia scire est*. Tertull.

CXXVI. Sed ab atriis templi evocamur a Philosophis clamantibus libertatem humanam convelli, si Deus operatur in nobis velle, & perficere. Pulcherrimæ, & profundæ adsunt Theologorum responsiones. Sed ad dissipandos Philosophorum clamores sufficere una potest notissima, & minus laboriosa, quin omnes divitiæ proferantur. Docet Ambrosius Romanæ Urbis decus gratia Christi homini collata, sive Christo veniente ad internum domicilium *maximis delectationibus hominem exuberantium pasci voluptatum*. Quam bene Leo Magnus dulcedinem, sanctasque illecebras gratiæ divinæ describit ser. 91. inquiens: „ anima cui summum bonum, & verum gaudium Deus est inter castas, spiritalesque delicias in sapientiæ latitudine, & veritatis luce versetur. Numquid in intimis conscientiæ suæ hoc delectationis inveniet de iniquitate commissa, quod de æquitate servata aut ei tantum jucunditatis carnalis voluptas quantum spiritalis pariet appetitus? „ Splendidissimus Ambrosii discipulus Augustinus centies docet gratiam esse inspirationem sanctæ dulcedinis, cælestis delectationis. Id videtur insinuare etiam Synodus Arausicana inquiens: *Spiritum Sanctum dare omnibus suavitatem in consentiendo*; tum Ecclesia petens ut divinorum *repleamur delectationibus mandatorum*; *ut cor caduca deserens Cæli voluptas impleat*. Hac ergo suavitate a Christo in cor immissa, hoc cælesti virtutis sapore, & oblectamento dulcescit summopere virtus & delectat (1), & homo appetens, esuriens, & sitiens justitiam rapide, sed prorsus libere currit ad virtutem lacte, & melle manantem, illique adhæret certissime; quamquam verissimam habeat potentiam recedendi, sive dissentiendi, qua uti non vult. Exempla habemus in ipsis naturalibus rebus dilucidissima potentiæ naturalis verissimæ, & indubiæ, qua tamen homines non utuntur.

I CXXVII.

(1) Per gratiam Christi virtus, & justitia fit vere amabilis, ridens, & suavissima cordi humano. At Stoici quorum nomen jure apud populum nomini æquivalet fanatici, & insensati suavitatem naturalem virtutis gustari asserebant etiam in Tauro Phalaridis, ibiq. beatissime vivere, & ambulare sapientem suum. Mendacissimos, & stultissimos homines refutat centies Augustinus. Non satis a Stoica Lepra sibi cavisse videtur Trembleyus insectis, polypisque inventis clarior, & felicior quam nuperis instructionibus suis circa virtutem. Adeo verum est cum de justitia agitur numquam oculum declinandum a Jesu Christo, & ejus gratia, sine qua nihil possumus, non sanamur, non liberamur, nec virtutis saporem, & dulcedinem gustamus; unde in sola Christi gratia vires quærendæ sunt, non in natura.

CXXVII. Omitti hic non potest aurea prorsus, & utilissima observatio Cl. Card. Gerdilii, qui in communi fidelium omnium intelligentia sine ullo labore, & acuta disquisitione componi demonstrat ideam supremæ, & efficacissimæ potentiæ Dei in corda hominum cum humana incolumi libertate cooperandi, vel resistendi: „ Questo universale sentimento si „ palesa ben chiaro qualora si sente che qualche scellerato condannato „ a morte rimanga duro, ed ostinato nella sua impenitenza. In quel ca- „ so veggiamo farsi da' fedeli ferventi preghiere a Dio, perchè si degni „ ammollire la durezza di quel cuore, e piegarlo ad un salutevole pen- „ timento; ecco pertanto riconosciuta la necessità della grazia. Che se „ l'uomo si compunge, e si converte, il popolo vedesi tutto ad un trat- „ to glorificare Iddio di quel magnifico trionfo della sua grazia, ed esal- „ tare l'efficacia del suo braccio onnipotente, che può fare in qualunque „ istante d'un gran peccatore un gran Santo, e vincere la resistenza „ d'un cuor perverso, senza però togliergli la libertà di resistere, se „ vuole, alle attrattive della grazia: talchè nella comune intelligenza „ de' Fedeli si accoppia senza difficoltà il più alto concetto dell'effica- „ cissima possanza di Dio sul cuore umano col più intimo sentimento „ della libertà dell'uomo nel cooperare, o nel resistere (1). „

CXXVIII. Hæc verissima, & lucidissima observatio viam aperit ad aliam observationem. Probi fideles unanimiter intelligunt omne bonum sanctorum operum tribuendum esse gratiæ Dei, & tamen sentiunt laborandum a nobis esse totis viribus, totoque nisu, & pectore agonizandum, ut virtutem assequamur. Hæc duo facili, & beata simplicitate sentiunt, & fatentur quia non indulgent nimiis speculationibus, sed fidei Christianæ, & sensus intimi voces dociliter, & unice auscultant. Eos imitari conetur adolescens Theologiæ candidatus. Regia est via Prophetarum, & Sanctorum omnium utriusque testamenti. Hinc Scripturæ, quæ necessitatem, & robur gratiæ perpetuo prædicant, simul etiam prædicant perpetuo satagendum nobis, agonizandum, non resistendum Deo, sed currendum ita ut comprehendamus. Hinc egregie Leo ille magnus, qui non semel Romam ab interitu eripuit, quique in latrocinio Ephesino labentibus Episcopis, & Patriarchis vastatores fidei rugitu terruit, & fugavit Leo inquam ille strenuus gratiæ vindex contra Pelagianos ait *serm.* 42. „ multa nobis vigilantia laborandum est ut cordis nostri receptaculum tanto hospite (*Deo*) non sit indignum. Quamvis enim ædificium nostrum sine ope sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis nisi ei protectio præfuerit conditoris; tamen quia rationabiles lapides sumus, & viva materies sic nos Auctoris nostri ex-

truit

(1) Suspicari forte possumus etiam ipsos hoc sensisse Paganos in quibusdam lucidis intervallis. (Quid enim sunt sapientes Pagani nisi delirantes cum lucidis intervallis?) Virgilius certe nec Pænos, nec Æneam libertate destitutos putavit cum cecinit

Placidasq. viri Deus obstruit aures.
Ponuntque ferocia Pæni
Corda volente Deo.

truit manus ut cum Opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur. Et *serm.* 34. „ consideremus itaque ineffabilem erga nos divinorum munerum largitatem; cooperatores simus gratiæ Dei operantis in nobis. Non dormientibus provenit thesaurus Cælorum, nec otio, desidiaque torpentibus. „ *serm.* 65. nec superbiæ nobis, nec desidiæ locus relinquitur. Eadem loquitur Augustinus contra Pelagianos l. 2. de pecc. mer. & rem. c. 5. *nec ideo tamen solis hac de re votis agendum est ut non subinferatur adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. Adjutor enim noster Deus dicitur, nec adjuvari potest nisi qui etiam aliquid sponte conatur.* Eadem docent Patres omnes, & universa Ecclesia quavis ætate. Si speculator adolescens duas hasce veritates componere non satis sciat ambas tamen plenissime credat etiam nexum non videns. In Geometria ipsa sunt veritates plures demonstratæ, & certissimæ, quæ tamen quomodo conciliari possint nemo intelligit. Physica autem omnis, & Metaphysica plena est hisce ænigmatibus, quæ sine stupiditate, & insania nequeunt negari licet modus ignoretur componendi. Quis Dei simplicitatem cum ejus immensitate apte sciat componere ec.? Cicero quia præscientiam Dei cum humana libertate componere nescivit Deum futura prænoscere negavit stolidissime, & ut homines faceret liberos, inquit Augustinus, fecit sacrilegos. Debebat Tullius admittere utramque veritatem certam, & claram licet nexum non intelligeret (quem tamen postea felicissime invenerunt, & jamdudum exposuerunt Theologi Scholastici ante metaphysicos quoscumque). Secus facere insanientis est.

CXXIX. Hinc merito a Conc. Trid. anathemate percutitur, qui sub gratia assereret hominem non posse dissentire si velit, aut nihil agere omnino. Imò re ipsa datur gratia Christi interior, cui homo actu resistit. Hinc omni jure damnatæ quinque propositiones Jansenii; quem tamen cum Serryo credere possumus *non obstiturum Pontificiæ damnationi, si diutius vixisset*; cum testamento suo Sanctæ Romanæ Sedis judicio librum suum submiserit seque *Filium obedientem* electo mortis pronunciaverit.

CXXX. Circa gratiæ distributionem varia est opinio Theologorum; & ex Scholis plerisque *multi gratiam sufficientem omni hominum generi, omnibusque temporibus communem faciunt*: (diss. cit. n. 125.). Unde nos rem hanc doctis viris relinquendam esse intelligimus, & a nobis proinde non attingendam. Hoc loco Cœlestini Papæ axioma recolentes: „ profundiores, difficilioresque partes incurrentium quæstionum sicut non audemus contemnere ita non necesse habemus adstruere: „ nihil aliud egimus hoc in capite quam audire Synodum Arausicanam, & Valentinam duo fulmina Pelagianismi: *hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint, & debeant si fideliter laborare voluerint adimplere* Araus. Can. 25. *nec ipsos malos ideo perire quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt* Syn. Valent. Can. 2. Hæc nobis generatim scire sufficit cum mysteria, & subtilia scrutari perhorrescamus, & enixe petamus a Deo ut efficiamur sicut parvuli, & simplices sicut columbæ.

CXXXI. Colligentes igitur, quæ jam diximus patet sanctam, & amabilem Christi gratiam esse balsamum omnium infirmitatum humanarum; quo in cor infuso statim reviviscit spiritus, viresque obtinet validissimas ad agendum bonum. Natura humana mirabiliter reparatur per Christum, qui totum est hominis bonum. Homini, quem intus alit spiritus Christi omnia facilia fiunt omnia prosunt. Paupertas, vel divitiæ; scientia, vel simplicitas; honor, vel infamia; valetudo, vel dolores; vita, vel mors uti ex æquo nocent homini sibi relicto, ita cooperantur in bonum homini, quem Christus gratia sua firmat. Quin tanta vis est robustæ gratiæ, quæ per Christum datur ut primævo etiam statu felicior sit status eorum, qui per Christum liberantur. Isti etenim accipiunt ab immensa Christi liberalitate, & amore majora dona quam prior ille Adam, & Christo donante invictissime quod bonum est volunt, & hoc deserere invictissime nolunt.

CXXXII. Carebat quidem Adam naturæ doloribus. Sed si eos non aufert a nobis Christi gratia mirabilius præstat ut patienter ferantur; ut cum voluptate quandoque ferantur. Dolores etsi non amant electi, amant tamen eos pati, & sufferre pro Christo. Plane felicior est Ignatius Martyr in Amphiteatro Romano irrumpentes inter, laniantesque leones (quos, ni facerent, extimulare paratus erat) Felicior inquam Adamo perambulante inter delicias Paradisi obsequentibus, & adulantibus feris; & natura blandiente, suasque omnes suavitates, & divitias offerente.

CXXXIII. In percurrenda de gratia Christi provincia ante oculos quasi cynosuram habuimus semper Sedis Apostolicæ systema, cui nomen damus. Hoc systema vehementer ab Augustino laudatum tanquam antiquissimum Ecclesiæ systema (num. 105.) in Pontificibus Innocentio, & Zozimo latius exposuit Cælestinus Papa; latissime vero, & absolutissime Sanctus Felix IV. in Synodo Arausicana II. quam integram omni ex parte protulimus, & assidue volutandam dedimus. Nihil enim in hoc rerum genere inveniri potest brevius simul, & clarius, & uberius, & suavius, magisque venerandum. Canones hujus Concilii confirmavit Sedes Apostolica, & Ecclesia universa; ut proinde vere, recteque concludat Romanæ purpuræ decus, literati orbis, ipsorumque Protestantium stupor Ven. Card. Baronius; *quot Arausicani Canones tot sunt Catholicæ Ecclesiæ stabilitæ sententiæ*. Plures hujus Concilii Canones renovavit Synodus Tridentina alterum Ecclesiæ propugnaculum, & turris David, a qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium. Synodus Arausicana Breviarium est, & Cathechismus gratiæ; Augustini medullam, & succum continens, ipsiusque Augustini verbis plerumque contextus, & manu Sanctissima, & Apostolica concinnatus, & viscera benignitatis Apostolicæ referens, & sapientiæ.

CXXXIV. Tractationem omnem claudere, & obsignare melius, dulciusque non possumus, quam unam adhibendo ex pretiosis illis Ecclesiæ Orationibus, quas Theologiæ compendia lucidissima, & sublimissima *operosis disputationibus* æquanda judicabat adeo Augustinus ut dicat in vetustissimis Patribus qui *transeunter & breviter* de gratia loquuntur ex frequentationibus Orationum simpliciter apparere Dei gratia quid valeret.

Ut

Ut ergo paucis verbis gratiæ mysteria confiteamur voces nostras adjungimus Ecclesiæ oranti, & gemitibus inenarrabilibus clamanti: *Familiam tuam quæsumus Domine continua pietate custodi, ut quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniatur.*

EX TRACTATU
DE
SANCTISSIMA TRINITATE.

I. Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur. „ Sacramentum hoc magnum est, inquit Bernardus L. 1. de Consid. Cap. 8., & quidem venerandum, „ non scrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est; credere pietas est; nosse via, & veritas æterna est. „

II. Rationabile prorsus est obsequium, quo Mysterium istud Divinæ Trinitatis, excedens omne quod cogitare, vel sapere possumus, firmissime credimus, & altitudinem Sapientiæ, & Scientiæ Dei, in eo absconditam veneramur: quia Mysterium est, quod ab ipsomet Deo, qui est summa Ratio, & æterna Veritas, revelatum, *ex auctoritate Divinæ Legis*, ut loquitur Vincentius Lirinensis, *tum deinde Catholicæ Ecclesiæ traditione*, certissime tenemus, & accipimus.

III. Immani errore, & audacia Sociniani, post Sabellianos, putant se urgere Catholicos plurimis illis Veteris Testamenti Locis, quibus unitas Dei ineluctabiliter statuitur: quasi Trinitas Personarum cum unitate identica divinæ Naturæ aperte repugnaret; vel quasi Trinitatem profitendo, Catholici non unum Deum tamen, sed tres Deos admitterent.

IV. In ipsomet Cap. 1. Gen. traditum, seu adumbratum jam reperitur Trinitatis dogma, ubi Deus ℣. 26. ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; ac deinde subjicitur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* „ Ecce, „ scribit Augustinus de Cant. N. ad Catech. n. 1., per Scripturas „ Sancta Trinitas unus Deus prædicatur, Arianus convictus aliquando „ confundatur. „ Hic autem concors est omnium PP. sensus, qui præfatis duobus versiculis perpetuo usi sunt adversus Judæos, Sabellianos, Arianos, Macedonianos, aliosque hæreticos Catholicum istud dogma utcunque impugnantes.

V. Plures etiam PP., sicuti Basilius, Nyssenus, Cyrillus Alex., Augustinus, Theodoretus &c., mysterii pluralitatis Divinarum Personarum vestigium agnovere in iis Dei verbis Gen. 3. ℣. 22.: *Ecce Adam*

quasi

quasi unus ex nobis factus est; & Cap. 11. ℣. 7. *Venite descendamus &c.* Adeant Sociniani, & Grotius ipse obcœcatam Rabbinorum Scholam, ut semper ignorent, cur in universa plane Scriptura ter tantummodo, in laudatis Geneseos Locis, Deus plurali numero de se loquatur. Nos, quibus, ut ajebat Augustinus Epist. 3. ad Volus., *auctoritati credere magnum compendium est*, *& nullus labor*, „ raro putamus, juxta PP. „ doctrinam, pluraliter Deum sermonem formare, nisi cum innuit nu„ merum Personarum Trinitatis. „ (Theod. Q. 19. in Gen.)

VI. Alia quamplurima sunt V. T. Loca, in quibus Mysterium Trinitatis, sive pluralitatis Personarum in Deo significatur; non una eademque semper obscuritate, sed interdum aperte traditum. Immo maximus Ecclesiæ D. Hieronymus *Trinitatis Majestatem declaratam manifestissime* dixit isto Ps. 36. versiculo *Verbo Domini cœli firmati sunt*, *& spiritu oris Ejus omnis virtus eorum*. Et sane *Dominum*, *Verbum*, *& Spiritum* totidem Personas exprimere communi PP. Græcorum, & Latinorum omnium consensu receptum esse Petavius asserit L. 2. Cap. 7.

VII. Porro ex locupletissimis hisce locis concludimus primo, ab ipsa hominis creatione revelationem mysterii S. Trinitatis cæpisse, usque ad postrema Mosaicæ Legis tempora successive propagatam; & adeo minus minusque obscuram jugiter fuisse, ut hæc Revelatio sub V. T., occidente ea Lege, quasi crepusculum fuerit mox orituræ clarissimæ Revelationis ejusdem mysterii, quam Christus *vera Lux* attulit Mundo.

VIII. Demonstramus præterea, Mysterium istud ab eadem hominis creatione usque ad Christi Domini adventum, sicuti *nuntiatum*, ita agnitum *& creditum* „ semper fuisse ab iis certe, ut habet Epiph. Hær. 6. „ n. 1., qui cæteris antecellerent, cujusmodi Prophetæ, & eximia san„ ctitate præditi homines fuerunt „. Isti, ait Augustinus L. 3. ad Bo„ nif. C. 4., *habentes eumdem spiritum fidei* (2. Cor. 4.) in Christum, „ nondum nomine, sed reipsa erant Christiani „.

IX. Habuerunt siquidem non qualemcumque fidem, sed *explicitam*, hujus Mysterii; cum ejusmodi fidem procul dubio habuerint Mysterii Incarnationis Divini Verbi. Nam „ hoc alterum mysterium, docente D. „ Th. 2. 2. Q. 2. Ar. 8., *explicite* credi nequit sine fide Trinitatis . . . ; „ Et ideo eodem modo, quo istud ante Christum *explicite* creditum fuit „ a Majoribus; implicite autem, & quasi obumbrate a Minoribus; ita „ etiam mysterium Trinitatis: « Quomodo ab istis *implicite*? Quatenus „ mente animoque penitus adhærebant « fidei Majorum, in qua ante „ Christi adventum occultata erat fides Trinitatis „.

X. Explicita Majorum fides peculiari Revelationi, quam a Deo acceperunt, est referenda. Patriarchæ enim, Prophetæ, & Justi insigniores, quos uno *Majorum* nomine Ang. D. comprehendit, totidem Viri Prophetici fuere, non solum lingua, verum etiam vita (Aug. c. Faust. L. 22. C. 24.); qui factorum, cæremoniarum legalium, visionum, & oraculorum, quæ ad futuram Verbi Incarnationem pertinebant, spiritualem intelligentiam haberent.

XI. Hujusmodi intelligentia, ad quam simplex & propria pertinet Revelatio, Prophetas, seu Propheticos Viros nunquam destitutos fuisse; aper-

apertissimis plurimisque edocemur Sanctarum Scripturarum testimoniis, præsertim apud Danielem; ubi etiam diserte scriptum legimus Cap. 10., *Intelligentia opus esse in visione*.

XII. Hinc cum nonnulla visionum genera sint, sola visio *intellectualis* complet rationem veræ prophetiæ (D. Th. Exp. in Cap. 1. Is.); & asseri potest cum Augustino, c. Adim. C. 28. " non esse Prophe-" tam veri Dei & summi, qui oblata divinitus visa vel solo corpore, " vel illa etiam parte spiritus videt, qua corporum capiuntur imagines, " & mente non videt ".

XIII. Sed Prophetia ab initio Mundi ad Christi adventum nunquam defuit: quod ipse Christus testatur Matt. 11. inquiens: *Omnes Prophetæ, & Lex usque ad Joannem prophetaverunt*. Prophetia insuper nunquam de Christo tacuit: *omnes* namque *Prophetæ testimonium Christo perhibent* (Act. 10.). Ergo perpetua, & constans in V. T. fuit peculiaris illa Revelatio, qua Viri prophetici, a Deo illustrati, Sanctæ Trinitatis mysterium explicita fide crediderunt.

XIV. Itaque fides tanti Mysterii, quam Christiana Religio profitetur, est eadem fides " quam, ut scribit Fulgentius de Fide ad Petrum, San-" cti Patriarchæ, & Prophetæ ante Incarnationem Filii Dei divinitus " acceperunt ". Et obmutescant Sociniani, qui hoc Mysterium, sera Evangelii ætate adinventum, Christianis contra auctoritatem Scripturarum V. T. credendum, datum fuisse impudentissime dictitant.

XV. Veteris Testamenti prærogativa esse non debebat universalis & aperta Mysterii Trinitatis revelatio. Quia, cum populus Hebræus in Idololatriam semper proclivis fuerit, nunquam *tutum fuit*, animadvertente Greg. Naz. Orat. 37. *Patris Divinitate nondum confessa, Filium aperte prædicari*. Cæterum, ex sententia Eusebii, Chrysostomi, Cyrilli Alex., Theodoreti, & aliorum PP., imminebat periculum gravissimum, ne rudis ille populus hinc tres colendi Deos occasionem sumeret.

XVI. At ubi venit plenitudo temporis, quando Deus misit Filium suum *evangelizare pauperibus* (Luc. 4.), *& per quem gratia, & veritas facta est* (*Joann. I.*), universalis, aperta, & perfecta Mundo illuxit Revelatio, ut ex omni parte Christi Ecclesia in Trinitate vocaretur.

XVII. *Euntes*, præcepit I. C. discipulis suis, *docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (Mat. 28.) *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante* (Marc. 16.) Et omnes eorum prædicationem audiverunt: quod Apostolus, Rom. 10., confirmat verbis Ps. 18. *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. En igitur universalem a Christo demandatam, a Discipulis annuntiatam, & auditam a cunctis populis Revelationem Christiani Dogmatis, quo unus ac singularis Deus in Trinitate Personarum colitur.

XVIII. In ea Evangelica forma Baptismatis apertissima, distincta, & perfecta istius dogmatis revelatio continetur. Primo enim tres Personæ suis nominibus designantur, quæ singularum proprietates, & relationes personales exprimunt, quibus invicem distinguuntur: Secundo convenienti, & naturali ordine recensentur: Tertio Trium Personarum una *nume-*

ro,

ro, indivisa, & identica natura, sive substantia, una virtus & operatio, æqualis gloria, & coæterna Majestas declaratur.

XIX. Hæc tria brevem S. Baptismi formam complecti, semper intellexit docuitque Catholica Ecclesia; quemadmodum innumeris Conciliorum, Rom. Pontificum, & PP. omnium luculentissimis auctoritatibus evincitur. Illam Constantinop. PP., in Ep. Syn. ad Damasum P. & Episcopos Romæ collectos, considerarunt, sibique proposuerunt tanquam normam, & criterium fidei a Nicænis in Symbolo expositæ, quam *lavacro baptismatis*, *quo tincti sumus*, *consentaneam* judicarunt, eo quia „ nos doceat credere *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, „ hoc est in divinitatem, potentiam, & substantiam unam Patris, & „ Filii, & Spiritus Sancti, æqualem dignitatem, & coæternum regnum in „ tribus perfectis personis „.

XX. Cum, præter formam baptismi, prope infinita sint Novi Testamenti loca, in quibus Trinitatis mysterium distincte revelatum agnoscitur („ omnis enim Scriptura, inquit Augustinus, si catholice intelligatur, hoc insinuat, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus unus „ sit Deus ejusdem substantiæ, ejusdemque essentiæ „); duo in primis peculiariter expendimus, quæ priscis Ecclesiæ PP. summopere familiaria fuere, cum Sabellianos, Arianos, & alios infensissimos hujus Mysterii Adversarios strenue refutarent. Unum suppeditat historia baptismatis Christi, quam Matthæus, Marcus, & Lucas referunt. Alterum habetur in iis verbis, quibus Christus, Joan. 14. ℣. 16., & 15. ℣. 26., se *missurum a Patre Spiritum Sanctum* Apostolis promisit. Iisdem armis contra Socinianos, & alios nostrorum temporum novellos Sabellianos, & Arianos felicissime decertatur.

XXI. Præterea trium Divinarum Personarum distinctio, & unitas ejusdem substantiæ, seu naturæ, ex ℣. 7. Cap. 5. Ep. I. Joannis: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo*, *Pater*, *Verbum & Sp. Sanctus*: *& hi tres unum sunt*, magnifice ostenditur. Nam cæleste Patris, Verbi, & Spiritus Sancti testimonium in Sacris Evangeliis exhibitum (Joan. 8. ℣. 13. &c., & 15. ℣. 26.), ad quæ laudatus versiculus Joan. referendus est, *consubstantialitati* ipsarum trium Personarum, invicem distinctarum, ita connexum deprehenditur, ut ab eodem, tanquam ab unico principio, manare intelligatur.

XXII. Authenticum, & canonicum esse Vers. illum, plurimis rationibus evincimus, & præsertim ex *contextu*, atque ex gravissima Tertulliani, Cypriani, Fulgentii, & Eugenii Carthaginensis in Conc. Afr. 461. Episcoporum auctoritate. „ Facillime sane, ait Cl. Bossuetius Instr. 2. „ contra Versionem Simonii, demonstrari potest, septimum versum adeo „ cum Joannis contextu esse connexum, ut sine illo Joan. sententia manca „ foret, & imperfecta . . . . Atque hic vel unicum testimonium „ positivum plus valet, quam centum omissiones „. Absit, ut authenticitas illius vers. ex litigiosa Codd. Medii Ævi collatione dijudicanda credatur.

XXIII. In Catholica Ecclesia eadem perpetuo fides viguit, & intemerata doctrina, quæ Apostolorum fuit, circa mysterium Augustissimæ Trinita-

nitatis. Testatur id in primis constantissima, & inviolabilis praxis ipsius Catholicæ Ecclesiæ baptismum administrandi cum distincta invocatione trium Divinarum Personarum, secundum Evangelicam formam a Christo Domino præscriptam, quam & Apostoli sancte observarunt, & fideliter semperque observandam Ecclesiæ tradiderunt.

XXIV. Eorum enim sequi prorsus auctoritatem volumus Patrum, & Doctorum, a Cath. Rom. laudatam, qui asserunt Apostolos nunquam sub alia forma baptizasse; etsi dicatur interdum ipsos baptizasse *in nomine Christi* (Act. Cap. 2. & 10. &c.) Cur illi interpretationi paucorum textuum, quæ *per se* obstat Evangelicæ formæ, inhærebimus, dum PP. plurimas nobis interpretationes offerunt, quæ formam istam cum illis textibus optime solideque conciliant? Speciale vero privilegium Apostolis divinitus concessum baptizandi aliquando, solo Christi nomine invocato, a PP. vel rejectum, vel ignoratum novimus; & certe exclusum ab omnibus, eo ipso quod doceant omnes, Apostolis *personaliter*, & immediate absoluteque præceptum fuisse, ut *baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti*, nempe cum explicita, & distincta trium Personarum invocatione.

XXV. Quis autem satis celebrare poterit aurea monumenta illius vigilantiæ, & fortitudinis, qua Catholica Christi Ecclesia concreditum sibi depositum Revelationis mysterii S. Trinitatis integrum, & illibatum religiosissime semper custodivit? Hisce monumentis, quæ nulla delebit ætas, hæresum & Conciliorum scatent historiæ. Quotquot ausi sunt Catholicam hujus mysterii fidem impugnare, & quomodocunque violare, tanquam Novatores & hæretici habiti sunt, atque ab Ecclesia damnati. *Hesternum, & novellum* hæreticum Tertullianus Praxeam vocat, quod „ subverteret regulam fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium, & Sp. S., regulam quæ decucurrit ab initio Evangelii, etiam ante priores quosque hæreticos ". Ejicitur ab Ecclesia pertinax Noetus " qui alieno spiritu afflatus, ea dicere ausus est, sicut refert Epiph. Hær. 57., quæ nec Prophetæ, nec Apostoli, nec Ecclesia ab initio tenuit, ac ne cogitavit quidem „. Ejicitur pariter *pestiferi studii causa* Paulus Samosatenus, *concilio omnium ubique Episcoporum*. (V. Theodor. H. E. l. 1. Cap. 4.) Nonne idem adversus pervicaces alios omnes hæreticos Antitrinitarios Catholicam Ecclesiam constanter præstitisse reperimus?

XXVI. Catholicum Trinitatis dogma per incorruptam, & perpetuam Traditionem in Conciliis quamplurimis, & immensa pene serie PP. consignatam, propagatum est. „ Sacratiora quidem Concilia, ut affirmant Tridentini PP. Sess. 3., Confessionis fidei scutum contra omnes hæreses in principio suarum Actionum apponere consueverunt: quo solo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles confirmarunt ". Istius consuetudinis exemplum vetustissimum Sæculi III. extat in Ep. PP. Conc. Antioch. ad præfatum Samosatenum; ubi „ decrevimus, inquiunt, fidem scripto edere & exponere, quam a principio accepimus, & habemus traditam & servatam in Catholica Ecclesia usque in hodiernum a BB. Apostolis ".

XXVII. Patrum, Antenicænorum præcipue, doctrinam Sociniani hæreti-

retico carpunt dente. At vero, si illorum PP. fides dubia esset, quomodo M. Athanasius provocasset Arianos, ut exhiberent Patres, qui hæresi ipsorum faverint; & sine cunctatione addidisset: *Nullum certe prudentem, & sapientem, vos, o Novi, unquam proferetis?* (L. de Nic. Syn. Decr.) Quomodo Nyssenus Eunomio evidentem Divinitatis Christi, & Sp. S. demonstrationem ex Scripturis postulanti, fidenter respondisset, „ sufficere, quod habeamus a PP. venientem ad nos Traditionem, ve„ lut hæreditatem quamdam per successionem ex Apostolis per Sanctos „ sequentes transmissam "? (Or. 3. c. Eun.) Quomodo tandem Augu„ stinus testatum reliquisset, L. 1. de Trin., " omnes quos legere potuit, „ qui ante ipsum de Trinitate scripserant... Catholici Tractatores, hoc in„ tendisse docere secundum Scripturas, quod Pater, & Filius, & Sp. S. „ unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent „ unitatem „?

XXVIII. Primis etiam tribus Ecclesiæ Sæculis, ante Nicænum Conc., Christiani & noverunt, & sanctissime professi sunt Trinitatis Fidem. Cujus rei testes longe clarissimi sunt Patres Apostolici, Clemens Rom., Ignatius, & Polycarpus, deinde Irenæus, Justinus, Athenagoras, Theophylus Antioch., Clemens Alex., Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Gregorius Thaum., Dionysius Alex., & alii. Consentiunt ipsis rara Ethnicorum testimonia, velut Celsi, Epicurei Philosophi, apud Origenem L. 1., & Luciani in Dial., qui *Philopater* inscribitur. „ Il ridersi, che fa quivi Lu„ ciano del vocabolo *Trinità*, dimostra, ut scribit Gerdilius, Vir pietate, „ doctrina, æque ac dignitate Eminentissimus, che non il dogma solamen„ te, ma il vocabolo stesso è della più rimota antichità „.

XXIX. Ast præterea explicitam fidem S. Trinitatis communem Veteribus Christianis fuisse, loquitur, ut ita dicam, idem mos ab Ecclesia semper hodieque, ex Apostolica Traditione (Act. 3., & 22.), servatus, exquirendi a Catechumenis ante baptismum explicitam, & distinctam hujus Mysterii professionem.

XXX. Itaque periniquam Veteribus Patribus, & Christianis calumniam inferunt passim Increduli, cum Socinianis, & Unitariis concinentes, dum illos purum putumque Platonicæ Triadis commentum professos esse audacissimi divulgant. Ænigmata Platonis, quæ acutis Viris Tetradem Pythagoricam redolere potius videntur, tantum distant a Catholico Trinitatis dogmate, quantum a Catholicis hæretici Marcionitæ, Valentiniani, Gnostici, Ariani, & Macedoniani distarunt; quos omnes ex Platonis Operibus, seu Philosophia, suos derivasse errores, Tertulliani, Dydimi, Cyrilli Alex., & Aug. Doctoris auctoritate comperimus.

XXXI. Quidquid vero apud Platonem aliquam Catholicæ doctrinæ circa mysterium Trinitatis remotissimam speciem exhibere visum est, id, quemadmodum alia plura, Philosophum istum a Sacris Libris surripuisse, aut certe a Viris horum Librorum peritis audisse, quæ pro ingenio adulterata, & deformata suis Operibus inseruerit, Justinus, Clemens Alex., Origenes, Eusebius, Basilius, Augustinus, Theodoretus, aliique merito censent.

XXXII. Plures sane, & eruditæ Platonis peregrinationes a Xenophonte, & Plu-

& Plutarco narrantur. Moysis autem libros aliorumque Prophetarum ante Platonem, initio Olymp.88. natum, conscriptos fuisse, demonstratum est; cum novissimi Aggæus, Zacharias, & Malachias Olymp. 65. ineunte prophetarint. Et Aristobulus, antiquissimus Philosophus Judæus, nemini dubium esse posse affirmat, quin Plato sacros illos libros diligenter studioseque perlegerit, & rimatus sit. Commemorat præterea Græcam eorum librorum Versionem, Græci istius Philosophi ætate divulgatam, & doctorum manibus tritam, anteriorem Versioni LXX. Interpretum, quam consulere non potuisse, Socinianis, & Incredulis, id opponentibus, ultro concedimus.

XXXIII. Ex dictis enormem quorumdam Incredulorum blasphemiam simul convellimus, qui asseruerunt in ipsamet Sancta Evangelia Platonis opiniones, & inter alias de Divina Triade, obrepsisse, Christi & Apostolorum temporibus apud Judæos diffusas, quæ deinceps uti dogmata divinitus revelata crederentur. Unum, quod illi proferunt, testimonium posteriorum Platonicorum, idest, Plotini, Longini, Amelii, Porphyrii, Jamblici &c., putidissimum est, cum ab istis contra plurima fuerint sacrilega manu ex sacris Evangeliis surrepta; quæ a suo Platone didicisse, in odium Christianæ Religionis mendacissimi jactabant.

XXXIV. Et revera antequam novi isti Platonici ex radice Marcionitarum, & Gnosticorum repullularent, nemo, licet indagator Operum Platonis solertissimus, quidquam ab eo de tribus Personis subsistentibus in unitate Divinæ Naturæ significatum deprehendere potuit: non Tullius; non Plutarchus; neque Celsus, qui cæterum plura Christianos a Platone suffuratos esse incusabat. Nemo apud Philosophum istum vestigia illius Mysterii remotissima perspicere valuit, qui ejusdem notitiam a Christiana Religione sibi antea non comparasset.

XXXV. Quod Catholicus quisque de Divinitate Jesu Christi sentire, credere, & profiteri debet, accurate pleneque expositum habet in Symbolo Magni Conc. Nicæni; „ quo Sancta Romana Ecclesia, ut ait Trid. „ Sess. 3., utitur, tanquam principio illo, in quo omnes, qui fidem „ Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamento firmo, „ & unico, contra quod portæ inferi nunquam prævalebunt ‹‹.

XXXVI. Catholicam Ecclesiam impiissime criminantur Unitarii, Sociniani, & Remonstrantes, quod alia Symbola in duobus Conciliis, Nicæno & Constantinop., ediderit, ut nova circa Divinitatem Christi dogmata, a se fabricata, credenda proponeret, quæ nec in Scripturis, neque in Symbolo Apostolorum inveniantur. Testis est Athanasius (L. de Syn.), Nicænos PP. „ de fide non scripsisse, uti de rebus ad disciplinam pertinentibus, *Visum est*: sed, *Ad istum modum credit Catholica* „ *Ecclesia*; & statim ipsam Confessionem Fidei adjunctam esse, ut ostenderent eam non esse novam sententiam, sed Apostolorum; & quæ „ ipsi scripsissent, non esse sua inventa, sed Apostolorum documenta ‹‹.

XXXVII. Etenim quæ de Divinitate J. C. in Symbolo Nicæno traduntur, aliud non sunt, nisi ampliores declarationes, seu expositiones Articuli Symb. Apost., qui ad eamdem spectat. Hoc protestati sunt Ephe-

 sini

sini PP., in Relatione ad Theodosium Aug. &c., ubi fidem ab Apostolis traditam, & postea a PP. Nicænis *expositam* vocant eam, quæ in Symbolo istorum continetur.

XXXVIII. Sed exploratissimum est, hæreticos tum veteres, tum recentiores, canina rabie concitatos, nulli calumniæ adversus PP. Nicænos, & Constantinop. pepercisse; eo quia sensum unum Catholicum verborum Symboli Apost. de unico Dei Filio J. C. tam accurate determinarint, tam aperte exposuerint, tam valide circummunierint, ut alterum quempiam eorumdem sensum obtrudendi aditum perpetuo intercluserint, viresque acrioribus ipsis hæreticis eripuerint abutendi simplicitate Apost. Symboli ad convellendam Catholicam de Divinitate Christi doctrinam. „ Sub ipsis paucis verbis in Symbolo constitutis plerosque hæreticos „ venena sua occultare conatos esse " , animadvertebat olim Augustinus (de Fide & Symb. Cap. 1.). Simplicitati Symboli Apost. Sociniani cæterique hæretici, supra commemorati, impie plaudunt; quod id unum (inquiunt) Christianis mandet, ut credant in Filium Dei, idest, hominem de Spiritu Sancto conceptum; vel saltem non explicet, quo sensu Christus Dei Filius sit.

XXXIX. Recte in primis, sapienterque Niceni PP. Symbolo apposuerunt vocem *homousion*, sive *consubstantialem*; qua veram, & genuinam Filii unam cum Patre Divinitatem adversus astutiam, & perfidiam Arianorum ineluctabiliter definirent. Nam cum hæretici isti Catholicis aliis vocibus abuterentur, quibus hæresim palliarent suam, solam vocem *homousion* reformidarunt, quam in pravum sensum flectere se posse desperarint: ideoque a Sanctis illis PP. apposita fuit, " ut tanquam evagina„ to ab ipsis gladio, ait Ambrosius L. 3. de Fide Cap. 7., nefandæ ca„ put hæresis amputarent „. Hinc vocem istam, quæ de Arianis triumphavit, Athanasius *arcem*, *& munimentum*, Liberius S. P. *propugnaculum firmum*, *& inexpugnabile*, Epiphanius *vinculum fidei*, jure meritoque appellarunt.

XL. Jesus Christus, unicus Dei Filius, *verus Deus* (1. Joan. 5. ℣. 20.); Patri *consubstantialis*, sæpissime in Libris N. T. demonstratur. Præ aliis testimoniis insigne est apud Joan. Cap. 10. ℣. 30., ubi ipse Christus Dominus dicit: *Ego & Pater unum sumus*. „ Ubi enim dicitur de duobus, aut „ pluribus, *unum sunt* (sic arguebat Augustinus L. 2. con. Maxim. Arian. „ Cap. 20.), nec additur quid unum sint, non diversæ intelliguntur, „ sed unius esse substantiæ „. Hoc sensu ipsimet Judæi acceperunt Christi verba; quibus auditis, eum *blasphemiæ* accusantes, *quia se ipsum faceret Deum* (Ib. ℣. 33.), lapidare volebant. " Ecce igitur, concludit alibi S. D., „ Judæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani ". Ecce intellexerunt Judæi, quod recentes Antitrinitarii pervicaciores intelligere nolunt.

XLI. Voci *homousion*, quam ante Nicænum Conc. Origenes, duo Dionysii, Rom. & Alex., Theognostus, & Pamphylus M., eodem prorsus sensu adhibuere, Patres istius Concilii prudentissime alias præmiserunt voces, quæ ab Athanasio *certæ*, *& confessæ Scripturarum voces* appellantur. Quibus præmissis, ii PP. non solum qualemcumque suspicionem obscuritatis, & ambiguitatis, quas Ariani, & Semiariani in *homousio* calumnia-

lumniabantur, removerunt, & hanc vocem in S. Scripturis, *quoad vim* (Ath. L. de Syn. &c.) contineri demonstrarunt; verum etiam talem de Divinitate J. C. confessionem, Sancto Spiritu docente, exararunt, qua & hæreses ante exortæ, & Ariana quæ tunc grassabatur, & omnes quæ in posterum contra Catholicum istud dogma veræ Divinitatis Christi, Dei Filii, Patri consubstantialis, oriri potuissent, profligarentur. (V. Naz. Or. 39.)

XLII. Una & æqualis est Patris Filiique Omnipotentia. Hanc veritatem, quam adstruunt plurimæ Sacrarum Literarum sententiæ, Nicæni PP. verbis Joan. Cap. 1. *Per quem omnia facta sunt*, profiteri, ipsisque in Symbolo, quæ ad Divinitatem J. C. pertinerent, absolvere, consultissime voluerunt, ut Arianos confunderent. Qui " omnem vim venenorum suo„ rum, ut Ambr. testatur L. 1. de Fide Cap. 3., in dialectica disputa„ tione constituentes ", cum ab Apostolo, 1. Cor. 8. ℣. 6., de Patre dictum legerent, *Ex quo omnia*; de Filio autem, *Per quem omnia*, circa differentiam particularum *ex*, & *per* cavillando, Filium a Patre in rerum creatione, tanquam *ministrum*, seu *causam instrumentalem* adhibitum fuisse, blasphemo ore pronuntiarunt.

XLIII. Huic Arianorum interpretationi, quam Sociniani deinceps amplexi sunt, propius accesserunt duo Auctores, qui Filium *meram causam moralem*, & *finalem*, *propter quam*, sive *cujus intuitu*, *ex uno Deo Patre existunt omnia*, reputabant. Effrænem, & impiam istorum cavillandi audaciam premit proteritque Catholicæ Ecclesiæ infallibilis auctoritas, quæ in tribus Con. Generalibus, Constantinop., Chalcedonensi, & Ephesino, aliisque permultis, ac demum in Tridentino, Sess. 3., iteravit confirmavitque Professionem editam in Conc. Nicæno de una eademque Patris, & Filii Omnipotentia, & operatione, hisque verbis conceptam: *Per quem omnia facta sunt*.

XLIV. Catholica quippe Ecclesia semper intellexit, de Filio dici, *Per quem omnia*, & de Patre, *Ex quo omnia*; ut hypostases distinguantur, & inconfusa Patris, & Filii notio exhibeatur (Bas. de Sp. S. cap. 5.); ut unius inconfusæque Naturæ proprietates exprimantur. (Greg. Naz. Orat. 39.); denique ut *Processionis* ordo (Joan. 8. ℣. 42.) indicetur: non ut separetur, dividatur, vel distinguatur natura, omnipotentia, & operatio Filii a natura, omnipotentia, & operatione Patris. Catholica ista doctrina, quam mirifice exponit Angelicus D., 1. P. Quæst. 45. Art. 6., Hæreticis, & duobus illis Auctoribus *meram subtilitatem* sapit: *Sed hæc subtilia quæ vocant, ipsa sunt* (aptissima cadit Cl. Bossuetii sententia) *Christianorum vera, ac certa Mysteria*.

XLV. Spiritus Sancti per se subsistens Persona, & vera Divinitas, quæ a Socinianis perfracte negantur, pluribus Sacrarum Scripturarum lucidissimis testimoniis (2. Reg. C.23. ℣℣. 2. & 3., Act. 5. ℣. 3., Ib. Cap. 28. ℣. 5., 1. Cor. ℣. 16. &c.) traduntur: tum etiam Symboli Apost., & Nicæno-Constantinopol. auctoritate solidissima confirmantur. In utroque eadem fides præscribitur in Spiritum Sanctum, æque ac in Patrem, & in Filium: „ notum porro est omnibus, ajebat Athanas., Ep. ad Afros, „ neminique unquam Christianorum dubium fuit, nos in Deum, non in

„ crea-

„ creaturam (eoque minus in *meram qualitatem*, cujusmodi a Socinia-
„ nis æstimatur Sp. S.) fidem habere " . Nihil in Symbolo addiderunt
„ Nicæni PP. , " quia contra Divinitatem Sp. S. nondum mota esset
„ quæstio : sed adhuc, inquit Basilius, Ep. 125., credentium mentibus
„ securus, ac nullis objectus insidiis inesset de Sp. S. intellectus „ .
Addiderunt vero Constantinopolitani PP. plenissimam declarationem,
præclariora Divinitatis Sp. S. argumenta, ex Scripturis petita, complectentem, ut exortas Macedonii, & Eunomianorum blasphemias compescerent, ac suffocarent.

XLVI. Ex communi PP., Latinæ & Græcæ Ecclesiæ, sententia ostendimus, Sp. S. *a Patre Filioque*, tanquam ab uno principio, processionem doceri Christi Domini verbis, Joan. 15. ℣. 26. *Cum venerit Paraclitus, quem Ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit &c.*; itidemque Cap. 16. ℣. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet &c.*. *Mittitur* ergo Spiritus Sanctus etiam a Filio : & *mitti* (ore omnium PP. loquatur Augustinus L. 4. de Trin. n. 29.) *est cognosci quod ab illo procedat*. Altero testimonio Florentina Syn. suam de processione Sp. S. a Patre & Filio definitionem corroboravit.

XLVII. De isto dogmate a Latinis PP. nihil dissenserunt Græci, eo quod plerumque dixerint, *Spiritum S. a Patre per Filium procedere*. Quod in Syn. mox laudata, Sess. 25., scripto confessi sunt Græci ipsi; qui *dictis* PP. utriusque Ecclesiæ *auditis*, pronuntiarunt, *idem esse a Filio quod per Filium, & per Filium quod ex Filio*. Sed istud evidenter jam demonstraverant Basilius & Dydimus, qui non semel, & Epiphanius qui frequenter, Latina formula usi sunt; evidentissime Cyrillus Alex., qui utramque coniunxit, & unam per alteram explicavit L. 1. de Adoratione: „ Spiritus est Dei (inquit) & Patris, & Filii ille, qui substantia-
„ liter ex utroque, nimirum ex Patre per Filium, profluit Spiritus . „

XLVIII. Quapropter iniquissimam, Sæc. IX., Græci, Photio duce, causam prætexerunt, & ementiti sunt separationis a communione Romanæ Ecclesiæ, ob formulam scilicet Processionis Sp. Sancti ab ea usitatam; quam duplex Processionis principium inducere contenderent. Poterant ne Græci illi ab initio de rectitudine Latinæ formulæ serio prudenterque dubitare, quam non modo a suis antiquis Patribus interdum adhibitam, verum etiam a quinque Œcumenicis Conciliis, idest III., IV., V., VI., & VIII., comprobatam nossent in celebri Epist. Cyrilli Alex. ad Nestorium, ubi Cap. X. diserte asserit S. D., *Spiritum S. a Christo quoque atque a Deo Patre procedere?* Sed Schismaticos Græcos, ab avita PP. Traditione recedentes, sophistica & prophana disceptatio de differentia particularum *ex*, & *per*, ad ipsam Processionem Spiritus S. a Filio denegandam perduxit; quam nec in Græca formula enunciatam, *ordine relationis inter Patrem & Filium servato*, amplius non discernerent.

XLIX. Igitur Sacrosancta Romana Ecclesia, Mater omnium Fidelium & Magistra, optimo jure semper dixit, *Sp. Sanctum ex Patre Filioque procedere*, & hanc formulam prætulit Græcorum formulæ, qua ajunt, *Sp. S. ex Patre per Filium procedere*. Ista PP. Græçis quondam opportunâ visa est contra errorem Eunomianorum, qui Sp. Sanctum a Patre pro-

ce-

cedere negabant: Ast postea plurium hæreticorum insidiis, & cavillationibus facile patuit. Latina vero formula in multis Conciliis ipsos repressit hæreticos; veluti Arianos, Macedonianos, & Priscillianistas præsertim, in Conc. Tolet. I., quod Magni Leonis Apostolica confirmavit auctoritas. Latina formula de ipso inveterato Græcorum Schismate, in tribus Conc. Gen., Later. IV., Lugd. II., & Florentino triumphavit.

L. Statuimus tandem, quod ab eodem Conc. Flor. definitum fuit, nempe „ explicationem verborum *Filioque*, veritatis declarandæ gratia, „ & imminente... necessitate, licite & rationabiliter fuisse Symbolo „ appositam „: ut Catholicam Fidem Processionis Sp. Sancti a Patre Filioque simul, quam per aliquot sæcula tum Hæretici, tum Schismatici obstinatissimo bello subvertere, modis omnibus tentaverant, Sanctitas Symboli intemeratam perpetuo custodiret, ac prædicaret. Eam appositionem Gregorius X. in præfato Conc. Lugd. probavit & sanxit, sanctissimoque ritu inter Missarum solemnia, recinentibus Latinæ & Græcæ Ecclesiæ Patribus, consecravit. Quo vero tempore ante illud Concilium Romana Ecclesia & probaverit, & admiserit ejusmodi appositionem, quæ apud plerasque Occidentis Ecclesias jam pridem obtinuerat, Eruditis Viris adhuc judicandum relinquimus.

EX

EX TRACTATU
DE
INCARNATIONE.

I. VIX restat locus indicem texendi hujus Tractatus. Prophetiæ veraces, præsertim si numero plures, graves, sanctæ, de rebus futuris liberis, ab omni conjectura, & expectatione remotissimis perfectam continent demonstrationem veritatis illius doctrinæ, in cujus favorem eduntur. Cumque futura hujusmodi nullis machinis, nullisque tubis possint admoveri, aut æquationibus detegi, ineptissime Maupertuisius possibilitatem prophetandi quæsivit in natura.

II. Extant porro prophetiæ veraces, plurimæ de futuris liberis ec. in libris Hebræorum, qui capsarii non suspecti, & depositarii promissionum a Deo constituti sunt. Fulget in primis vaticinium de vocatione, & conversione Gentium Infidelium ad veram Religionem, & Fidem millies repetitum. Apostoli illud agnoverunt; eorumque ministerio impleri, & verificari solemniter cæpit, ut prædictum erat. Hinc Jesus Nazarenus Apostolorum Magister, qui eos misit in lucem Gentium, verus est Messias. Delirat Volterius asserens conversionem Gentium ex Idololatria ad cultum veri Dei vel facillime prævideri, vel ope Philosophiæ perfici potuisse.

III. Vaticinia Paganorum pleraque odorem exhalant fraudis humanæ, & imposturæ Flaminum, & Pythiæ. Illa autem, quæ a Dæmone originem habuerunt cum ignorantiam, malitiam, impietatem, stultitiam spirent undequaque carent omni vi, & risum merentur.

IV. Errat Judæus nondum vocatos Gentiles putans quia Mosaicas cæremonias non observant. Istæ quippe figurativæ fuerunt, temporariæ, & a Messia abolendæ juxta Prophetas. Hic patet aditus considerandi duplicem frontem, splendidam unam, divinamque legis Mosaicæ, alteram nebulosam, & obscuram. Lex Mosaica data est ut Israelitas, ex quorum sanguine futurus erat Christus, a ceteris Gentibus visibiliter separaret; ut eos contineret in Religione, & cultu veri Dei; ut custodes authentici fierent Judæi promissionum cælestium; ut Messiam, & bona ab eo afferenda sub figuris lex exhiberet; ut omnia præpararet pro adventu Messiæ, qui lux, & veritas, & salus, & expectatio Gentium erat futurus. Hinc intelligitur cur bona quidem sit lex Mosaica, sed imperfecta. Messiæ enim perfectio Legis, & perfecta hominum illuminatio, & sanatio erat reservata.

V. Sed jam venisse Messiam hunc exoptatissimum probat iterum Jacobæum vaticinium Gen. 49., in quo Judæ nomine sola Tribus Juda, & sceptri nomine non regia auctoritas designatur, sed subsistentia, & ordinata, & regularis colligatio Tribus Judæ cum Jusdicentibus pluribus, & Senioribus, & Participibus auctoritatis. Hoc sensu *Sceptrum Levi* *Scep-*

Sceptrum Dan ec. in Scripturis nominatur. Vaticinia pariter Danielis, Aggæi, & Malachiæ Messiam venisse, & esse Jesum Nazarenum aperte probant.

VI. Isaias Messiæ sepulchrum gloriosum futurum prædicit, quod unice congruit sepulchro Jesu Christi. Venerabile, & pretiosum hoc sepulchrum Apostolorum, & Angelorum præsentia illustratum fuit; tum ab accurrentibus Martyribus, Episcopis, Doctoribus, Senatoribus, Matronis Principibus teste Chrysostomo, & Hieronymo. Ex omnibus Orbis terræ partibus turmatim ad osculandum, & venerandum hoc sepulchrum confluunt, & confluxerunt Itali, & Occidentales universi; tum ex Oriente Armeni, Indi, Æthiopes, Persæ, Ægyptii, Cappadoces, Syri, Mesopotamii, Græci, Georgiani, ipsique Hæretici. A pluribus sæculis inter hostium manus jacet Sepulchrum Christi. At qui ora Leonum concludit, manus violentas hostium acerbissimorum perpetuo prodigio continet, ne sepulchrum Domini audeant violare, vel subvertere.

VII. Sed David, & Isaias ortum, vitam, actiones, mortem Messiæ prædicentes minutatim Evangelistæ potius videntur, quam Prophetæ. Cum ergo in Filiis Jesse, & Amosi, & in toto V. T. centenæ, & minutissimæ habeantur Prophetiæ de Messia, quas recensuimus singillatim, omnesque & *perfecte & unice* in Jesu Nazareno verificatæ fuerint, Judæi, & Philosophi Judæis mage saxei nisi oculos sibi effodiant, non possunt non videre Jesum Christum esse Messiam, Deiq. Legatum.

VIII. Judæi quidem Messiam vellent divitem, bellatorem, Gentes trucidantem, eorumque rapientem spolia, & dividentem, ut fuerunt circiter Alexander Macedo, Attila, Muhamedes, Solimanus: At quid de hoc ferreo, & sanguinolento Duce facient animæ sublimes, & puræ, quæ non superbiam, & pecunias optant, sed innocentiam, puritatem, Dei gloriam, & omnium hominum salutem & bonum? Anne Justi antiqui, & Prophetæ tot suspiria, & lacrymas fundebant, ut Messia veniente, Gentes jugularent, suasque crumenas implerent propolæ nostri Judæi pannosi? Robur, bella, victoriæ, divitiæ Messiæ spiritualiter, & sublimiter intelligendæ sunt; litteraliter opprobria, dolores, mors. Hoc evidenter demonstratur contra Judæos. Alioquin mentiti sunt Prophetæ; nec regnum Dei statueret Messias, sed destrueret.

IX. Ad evidentiam perfectam veritas Incarnationis, & Religionis Christianæ deducitur, si innumeris vaticiniis V. T. addas innumerabilia vaticinia verissima, & nobilissima, & stupenda, quæ Jesus Nazarenus ex ore fudit suo, & in Evangeliis legimus, & eventu perpetuo completa, & comprobata videmus. Ea recensuimus singillatim magno animi gaudio. Vaticinium unum Christi de æterna clade Templi Jerosolymitani ferox, & stultus Philosophus Julianus Imp. totis viribus Imperii subvertere tentavit. Irriti ejus conatus complementum sunt demonstrationis Evangelicæ. Alembertus nuper Judaizans Reges Europæ ad hujus Templi constructionem sollicitavit, & commoda supputaverat oritura Sectæ Philosophicæ. Sed iterum Philosophia plena dedecore, & ignominia infelicibus excidit ausis. Qui ergo ex præsentibus Philosophis conqueruntur se miracula nunquam vidisse prophetias videant, quæ miraculum sunt permanens, & æter-

L num

num lucidissime demonstrans omni ætati, omniq. nationi veritatem Incarnationis, & Religionis Christianæ.

X. Sed jam in ipsum Dei Filium Incarnatum oculos conjiciamus. Ad intelligendum profunde mysterium Incarnationis integram exscripsimus. M. Leonis Papæ Epis. ad Flavianum, Ecclesiæ universalis judicio & sententia sæpius consecratam, quæ data Catholicis est ut fidei tessera, columna, & veluti Lydius lapis. Quo opere levati sumus infinita molestia singillatim Orientalium ineptias refutandi, qui in Christo negarunt vel duplicem naturam, vel veram animam, vel corpus ex Virgine conceptum, passibile &c.. Hæreses hæ toties prostratæ sua se macie pleræque consumserunt. Sinimus ergo Marcionitas, Helvidianos, Monothelitas, Apollinaristas, Colarbasianos, Proclianitas, Heracleotas, Masbotheos, Aphtartodocitas (horrenda nomina!) in sua oblivione, & contemptu marcescere.

XI. Placuit tamen contra hæresim Nestorii ab Unitariis in Occidente renovatam plura dicere. In Christo una est Persona, eaque Divina; hæc véritas est adeo fundamentum totius Religionis Christianæ, ut eo sublato Religio penitus fatiscat, & corruat, & in fabulam, & monstrum convertatur. Hoc etiam loco tradidimus regulas communicationis idiomatum, quas prudentissime Theologi statuunt, & recensent.

XII. Paulisper etiam contemplamur pulcherrimam animam Christi. Præstantiæ fuit incomprehensibilis Christi anima, ab omni labe purissima, unctione gratiæ, & Spiritus Sancti non delibuta tantum, & inuncta, sed perfusa & inebriata; sapientissima, inculpatis omnibus affectibus prædita, mansueta, & mitissima, beata, libera, sed carens ea peccandi potentia, quæ funestum genus est imbecillitatis, & infirmitatis; veritatem, Deique ipsius faciem sine cortice videns, & velo; denique in Eam plenitudo bonorum, opumque divinarum transfusa est. Oh si oculos haberemus ad videndam hanc animam splendorem Cœli, Patrisque delicias!

XIII. Interea Christi dicta, resque gestas percurrimus. Quam perfectum sanctitatis, & sapientiæ exemplar in Christi moribus, dictisque! Quam mirabili responso structas arte summa insidias a Pharisæis adulteram coram eo ducentibus, de tributo interrogantibus &c. dissipavit Christus! Quanta benignitas, & mansuetudo! Se cæli & terræ imperium habere ostendit miraculis suis, & nemini terribilis est. Pauperes homines, & peccatores fidenter ad eum accedunt; pueruli ipsi, quibus blanditur dum docet. Super amicos, super ipsos inimicos fundit lacrymas omni affectu teneriores; in conspectu multitudinis famelicæ, matrisque plorantis viscera ejus commoventur; ad infirmos vocatus accurrit statim; cupidum videndi ejus hominem consolatur hospitio etiam quæsito; cum peccatoribus manducat; eorum patrocinium suscipit &c. Sed quis Christi amabilitatem, sanctitatem, misericordiam audeat delineare?

XIV. Jesus Christus principium, & finis est omnium operum Dei sive in cælo, sive in terra, sive in natura, sive in lege, sive in Evangelio, sive in vita æterna. Jesus Christus est Rex cæli, & terræ, & Angelorum; Sol est Paradisi, & gaudium Sanctæ Civitatis: omnes creatu-

ræ,

ræ, omnesque homines sunt juris ejus, ejusque hæreditas. Christus est caput Ecclesiæ. Proprie est Deus miserorum, & peccatorum, quoniam infinita clementia ad eos liberandos venit. Christus est hominum Mediator, Advocatus, Intercessor, Redemptor, Salvator, Refugium. Christus est Pontifex noster, & Sacerdos in æternum, & simul Hostia, & Victima, in cujus sanguine mundati sumus. Medicus noster est Christus, qui cæleste oleum, & vinum infundit in hominum vulnera, & sanat. Pastor usque est, Amicus, & Frater incomprehensibili, & nimia charitate.

XV. Doctor, & Legislator noster est Christus. Philosophorum magisterium esse non potest vel sine tyrannide, vel sine discussione. Utrumq. absurdum pro populo, idest fere pro genere humano. Docti ipsi plures majori vitæ suæ parte, inque rebus gravibus videntur esse populus in cujus turba nos esse intelligimus. Solus Christus Jesus docet utiliter sive cum suprema, & legitima auctoritate *sicut potestatem habens, & non sicut scribæ, & Pharisæi*. Matt. 7.

XVI. Exemplum etiam nostrum Christus factus est, ut Legis pondus alleviaret; ut eam dulce *lac nobis faceret carne indutus venit ad nos*, pulchre inquit felix Augustinus talia expertus. Consolatio etiam nostra est Christus in tantis illis ærumnis, quibus premimur. Philosophia promittit sæpe calicem mulsi ad refocillandam animam, sed nunquam porrigit. Mendica est, scabie plena, vividis carens aromatibus, quæ languentes excitent, & restaurent vires. Exhibeatur animæ Christianæ, quam corporis, spiritusque lacerant dolores Christus suus Crucifixus. Illico splendent oculi, frons erigitur, pon dus infirmitatisdimidiatum est. Lignum Crucis balsamum sudat, quo omnia vulnera mitigantur.

XVII. Jesus Christus tandem est unicus felicitatis distributor, & fons. Quippe mortali peregrinatione functos, sibique fideles ducit Christus ad perfectæ beatitudinis, & hilaritatis sedem, ad cælestem Sion, cujus portas aperuit nobis ipse in sanguine suo. In Illa gaudii, & lucis Sancta Civitate inter æternos Christi amplexus amabilis Dei facies sine speculo visa, & ænigmate homines in perpetuo castarum deliciarum torrente submerget, & inebriabit. Tanta Christus Jesus beneficia attulit humano generi sua Incarnatione.

F I N I S.

ERRATA CORRIGE

Pag. 6. lin. 12. *manet* -- *monet*. pag. 18. l. penult. *instinuat* -- *insinuat* p. 20. l. 51. *sia* -- *fia*. p. 22. l. 21. *cum* -- *cum fere*. p. 25. l. 40. *morum ex* -- *morum et*. p. 26. l. 27. Sardanapulum -- Sardanapalum. p. 27. l. 43. (*not.* 4.) -- (*not. sup.*) p. 32. l. 43. *not.* 1. *transferenda ad p.* 33. *& vicissim*. p. 33. l. 49. *glorima* -- *gloriam*. p. 36. l. 7. Praicipe -- Principe. p. 48. l. 44. *quæ non aliquibus* -- *quæ aliquibus*. p. 50. l. 5. Heteodoxus -- Heterodoxus. p. 52. l. 44. *ritu* -- *risu*.